





1691.

1. Baierus, Joh. Guilielmus: Fus tertiu in causa regalia inter Gallie regem et pontificem Romanum disceptatae
2. Baierus, Adrianus: Conventus fori cum schola de advocatorum in ammanenses ephoria.
3. Baierus, Adrianus: De investitura prima. . . .
4. Baierus, Adrianus: De mercede conductitorum operum occasione l. 13 § 1 ff. De verb. signif. . . .
5. Baierus, Adrianus: De occupatione et vacatione ferarum iuvite.
6. Brucknerus, Wilhelm Hieronymus: De eo, quod iustum est, in foro externo (justitia externa) et interno (justitia interna).
7. Hörsen, Henricus Smetus: De lege Transalpariana.
8. Hartung, Johann Christoph: De curatore ad litem.
9. Humerus, Bonde: Stemma Sueonum in caelo Heraldico.

1691.

10. Lynckerus, Nic. Christophorus: De vinculo familiae.
11. Lynckerus, Nic. Christophorus: De reductione ad arbitrium
boni viri . . .
12. Lynckerus, Nic. Christophorus: De prosecutione hostis imperii
fructu . . .
13. ¹⁴⁹Lynckerus, Nicolaus Christophorus: De iudicio status.
2 Exempl. 1691 = 1734
15. Lynckerus, Nicolaus Christophorus: De jure repressalium
juris que gentium et civilis . . .
16. ¹⁴⁸Lynckerus, Nic. Christophorus: De iuribus proae-
miorum circa virtutes, benemerita et egregia
facta . . . 2 Exempl. 1691 = 1736
17. ¹⁴⁷Lynckerus, Nic. Christophorus: De eo, quod iustum est
circa personas diversae religionis. 3 Exempl.

m
ni
mas
/





C. D.
DE

1691/17
38

20

EO, QVOD JUSTUM EST,
CIRCA

PERSONAS DIVER:
SÆ RELIGIONIS,

SUB PRÆSIDIO

VIRI ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI,

DN. NIC. CHRISTOPHORI
LYNCKERI,

Hereditarii in *Glueſtadt & Rötſchau* Jcti,
Conſiliarii Saxo-Vinar. Intimi, Facultatis Juridicæ Se:
nioris & Anteceſſoris Primarii, Curix item Provincialis &
Scabinatus Aſſeſſoris,

*DN. Patroni nullo non obſervantia & obſequii
cultu atatem proſequendi,*

in Auditorio Jctorum

FLORENTISSIMÆ ACADEMIÆ SALANÆ,

ad Diem Novembr. Anno MDCXCI.

publice diſputabit

JOHANN. CONRAD SCHEMEL,
Onoldò Francus.

J E N Æ,

Literis WERTHERIANIS.



HO, QVOD IUSTVM EST,

CILICA

PERSONAS DIVER-
SAE RELIGIONIS

SUB PRÆSIDIO

MR. ALBERTI NIJE EXCERPTISSIMAM

DM. MIC. CHRISTOPHORI

LYNCKELI

in officio in ...

Consilium ...

et ...

in ...

in ...

in Auditorio ...

in ...

ad ...

publice ...

JOHANN. CONRAD. SCHEMELI

Ordinis ...

Luce WETTERLING





L. N. 7.

PROOEMIUM.

Republica & Ecclesia, licet in se maximè diversa sint, arctissimo tamen nexu ita cohaerent, ut divelli à se invicem salva & illaesa societate haud possunt. Nunquam enim salus & beatitudo civium, nunquam in Republ. tranquillitas obrineri poterit, si inculta jaceat Ecclesia, & quae ad hujus constitutionem atque conservationem faciunt religio & reverentia Numinis negligatur. Haec si animis hominum excussa fuerint, immanitate ac sceleribus omnia complebuntur, inquit Cic. *L. 1. de Nat. Deor.* Ibunt homines velut effrenes equi, & si metus ac veneratio Numinis eos non retardabit, multo minus Legum ac poenarum vinculis constringi aut intra justitiae, honestatis & disciplinae, terminos à magistratu contineri poterunt, utpote qui omnem quam habet majestatem & potestatem concessam à Deo habet, hunc verò si non recognoscunt, nec ejus qui inferior est potestatem formidabunt, sed ad omne peccandi genus eo magis prolabentur, quo natura contumaciores & in vitium propensiores sunt. Nec enim seposito hoc erga Deum metu persuaderi poterunt subditi, plus tribuendum esse illis, quos pares sibi produxit, & quos minore prudentia haud rarè instruxit natu-

ra. vid. Ziegl. de jur. Majest. L. 1. c. 13. §. 1. Quemadmodum igitur à ruina Ecclesiæ cen fulcro & fundamento Reipubl. hujus ipsius quoque corruptio & interitus metuendus. R. I. de anno 1532. rubr. Concilium betreffend. in f. pr. Darneben erfolgen würde. ita ab ejus conservatione & propagacione æterna & temporalis omnium felicitas speranda est. R. I. de anno 1566. §. niewohl wir nun. Arnix. L. 1. de jur. Majest. c. 6. n. 3. Hinc Plato L. 4. de Rep. religionem propugnaculum potestatis ac Legum & honesta disciplina vinculum vocat. & Arist. 7. Pol. 8. cultum divinum ex numero eorum esse dicit, sine quibus civitas esse non potest. conf. Id. 6. Pol. c. ult. & H. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 44. n. 3. Balduin. de cas. consc. L. 2. c. 6. cas. 1. Hoc jam olim quàm optimè calluerunt Romani, qui religionem & sacra loco instrumenti habuerunt ad conservandum Reip. statum: Rittersh. in Nov. p. 1. c. 1. n. 4. id quod Romuli, Numæ aliorumque exempla testantur, de quibus vid. Ziegl. l. c. §. 4. 5. Reink. de R. S. & Eccl. L. 3. cl. 1. c. 1. n. 3. 4. Contigit autem nescio quo infelici fato, artibus procul dubio diaboli, ut modus colendi Deum non ubique idem sit & uniformis. Alia alibi viget religio. Alia gentes alios Deos agnoscunt, & licet quandoque in Numine convenient, in modo tamen colendi discrepant. Sic hodiernum tanta inter Christianos etiam quoad religionem est ruptura, ut quia alius Papæ Romani, alius Lutheri, Calvini se esse dicit alius, non conveniat inter eos, quis Christi sit, cujus tamen esse volunt singuli. Et hæc diversitas non ditionum & principatum terminis à se invicem discernitur, sed usque adeò divulgata & dispersa est, ut omnes ferè provinciæ, imò etiam civitates, & in singulis civitatibus civium paraciæ, interdum & singulæ domus opinionum dissidiis inter se conflictentur. Hoc modo dum in diversa rapiuntur animi, fit, ut non tantum insignes inter principes & magistratus vicinarum ditionum contentiones ac odia.

excitentur, sed & in una eademque sæpe Republ. magistratui cum subditis, & ipsis concivibus inter se, quin etiam patri cum uxore ac liberis, fratri cum fratre innumeræ controversiæ intercedant. Necessitate igitur sic exigente, ad sustinendam cum extraneis æque ac ipsis Reipubl. membris pacem & concordiam, peculiare LL. & constitutiones, religionis negotia, concernentes, ordinare, & omni studio prospicere, ut concurrentibus diversæ religionis personis, jus suum cuique æqualitate tribueretur, iis incumbere, quibus cum potestate imperandi, cura simul invigilandi aliorum saluti demandata erat. Et hæc jura in præsentī dissertatione pro virium imbecillitate paucis delineare animus est, eo quidem ordine ac methodo, ut præmissa in parte generali *ὀνομασλογία* seu explicatione vocabulorum, partis specialis Sectionem primam, enarratio historica potissimarum controversiarum, circa religionem tam calamo quàm ense propugnatarum, constituat, cui simul juris publici dispositio accedet. Sectionem alteram jus civile absolvet, cujus tractatio, secundum ductum Justiniani omne jus ad personas, res & actiones referentis, §. *f. de J. N. G. & C.*, commodè in tria capita dispesci poterit, in quibus singulis, ratione substratæ materiæ, ea quæ ex divino, naturali & Gentium, nec non feudali, publico atque canonico jure, ad institutum nostrum facere possunt, annectentur; Adsit Divinum Numen laboribus nostris, eosque exoptatissimo successu secundet.

PARS GENERALIS,

exhibens

Etymologiam, Homonymiam, Synonymiam, Definitionem & Divisionem Vocabulorum.

A 3

S. I.

§. 1. *Antequam iura personis diversae religionis competentia, disquirenda suscipiamus, opera pretium erit, ut quae ad terminorum explanationem facere, ac ad accuratorem ipsius rei tractationem viam praeparare possent, prius excutiamus, maxime cum omnis vis ac substantia rerum ab ipsa proprietate ac evolutione vocabulorum dependeat, monente Ant. Fab. in rat. de l. §. 1. lit. b.*

§. 2. Cum verò rubrica nostra variorum vocabulorum complexu includatur, ideò circa praecipuorum tantummodo explicationem erimus occupati, parum de coetero solliciti, tum de reliquis vocabulis, quae connexionis potius, quam instituti nostri rationem attingunt, tum de ordine & methodo illorum, quae in praesentiarum evolenda & illustranda proposuimus, cum eo quo connectendi ratio ea collocavit ordine, quam optimè tractari posse videantur.

§. 3. Inter vocabula autem, quae explicationem merentur, primum locum obtinent PERSONAE, quarum acceptio varia hinc inde reperitur. Accipitur enim vox haec (1) *Generaliter*, quatenus omnes homines complectitur, tam masculos, quam foeminas, tam liberos quam servos, l. 22. pr. ff. de R. I. l. 41. pr. ff. de hered. inst. l. 215. de V. S. vid. D. Struv. Ex. 3. 26. 5. Et huc pertinet jus Personarum, arg. rubr. l. de jur. person. §. pr. l. de his, qui sui vel alien. jur. sunt. vid. Ludvy. ad pr. l. de jur. pers. n. 1. (2) *Specialiter*, pro qualitate aliqua morali seu statu ac conditione, quae huic vel illi homini in vita civili inhaeret. Gell. 5. Noct. 7. Laur. Valla L. 6. Eleg. c. 37. 35. Unde & Cic. L. 8. ad Att. ep. 15. inquit: *Mea persona semper ad improborum civium imperius aliquid videtur habere populare: & in orat. pro Sylia p. m. 246. istam personam vehementem & acrem, quam mihi cum tempus & Resp. imposuit, iam voluntas & natura ipsa detraxit: it. in orat. pro L. Murena.*

p. m.

p. m. 181. gravitatis severitatisque personam non appetidi, sed
à Republ. mihi impositam sustinui. Add. Ungep. Ex. Just. 2. q.
10. in aio. Et sic quidem appellatione hominis persona conti-
netur, sed hæc non vicissim cum homine recipiari potest;
homo enim est vocabulum naturæ, persona juris civilis. vid.
Wissenb. ad R. l. 22. §. 1. Calvin. in Lex. jurid. voc. Persona. p.
m. 1431. Huc pertinere videtur definitio, qua persona dicitur
homo in societate civili vivens, D. Struv. Ex. 3. tb. 2. vel
caput civile habens: Vultej. ad §. 1. l. de J. P. n. 1. quo sensu
de servis negatur, quod sint personæ, l. 3. pr. ff. ne quis eum, qui
in jus voc. vi exim. l. 26. ff. de stip. serv. l. 32. ff. de R. l. §. 4. l.
de cap. min. vid. D. Struv. Ex. 3. tb. 5. Wissenb. l. c. Referuntur
etiam huc beneficia seu privilegia personalia, it. munera,
quæ propter singulare meritum aliamve conditionem peculi-
arem, personæ concessæ inhærentem, indulgeri solent. l. 13. ff.
sol. matr. Hoc respectu etiam personæ aliæ sunt publicæ, hæ-
que vel politica, ut Imperator & Electores seculares, aliique
Politici Status Imperii, tum & Magnates, Magistratûs,
Notarii, Tabelliones, §. 3. l. de adopt. vel Ecclesiastica, ut Epi-
scopi, Presbyteri & alii: aliæ privatae sunt, ut societates, tum
publicæ, ut civitates, municipia, Ecclesiæ, universitates,
castra, collegia opificum, tum privatae, ut mercatorum. vid.
l. 22. ff. de fidejuss. & mand. cujusmodi societates aliæ perso-
næ morales seu civiles, item fictæ vel mysticæ appellari solent.
vid. Lauterb. in comp. jur. tit. quod cujusq. univ. nom. p. 20. it.
de usufr. p. 126. Pari modo etiam hereditas personæ vicem
sustinere dicitur in l. 22. ff. de fidejuss. l. 34. & 61. de A. R. D.
l. 9. C. depositur. (3) Specialissime & improprie, pro figuris emi-
nentibus in ædificiis, ex quarum rostris aqua salire solet. Ull-
pian. in l. 17. §. 9. ff. de A. E. V. Ex his autem priores, duæ acce-
ptiones tantum hujus loci sunt.

cap. §. 4. Excutiendum nunc venit alterum rubricæ mem-
brum,

brum, ratione originis & variarum æquivocationum intricatum omnino, multisque difficultatibus implicatum, ipsius scilicet vocabuli Religionis (in quo cardo Disputationis nostræ consistit) natura & proprietates.

§. 5. Dicitur Religio (1) à *relegendo*, quia ea, quæ ad cultum Dei pertinent, sæpe reassumenda, & quasi relegenda sunt. vid. *Isid. L. 10. Etymol. t. 12. C. 2. de Nat. Deor.* (2) à *reeligendo*, quod ubi de negotio aliquo plures concurrunt sententiæ, semper præferenda & quasi reeligenda sit illa, quæ religioni propius accedit. vel: quod per religionem reeligatur Deus à nobis per peccatum rejectus. *Aug. L. 10. de Civ. Dei c. 4.* Secundum alios (3) à *relinquendo*, quasi per religionem relictis rebus mundanis ad Deum accedamus, unde & *res religiosæ* dicuntur, quod à communi usu hominum relictæ & remotæ sint. *Schneidevv. ad §. 9. I. de R. D. n. 1. Zoel. ad ff. tit. eod. n. 2.* Alii originem hujus vocabuli deducunt (4) à *religendo*, quasi ejus vinculo obstricti & religati sint homines. *Lactant. L. 4. de vera sap. cap. 28. p. 387.* quam derivationem tam nomini quàm ipsi rei maximè consentaneam putat *Meisn. phil. sobr. p. 2. §. 11. c. 1. n. 4.* Add. late *Calvin. in Lex. voc. Religio. p. 1638. Meisn. l. c. §. p. 3. Sect. 1. theor. 2. num. 2. Dannh. in coll. dec. D. 2. §. 15. p. 64.*

§. 6. Homonymiam vocabuli quod concernit, diversimodè illud accipitur, & quidem denotat (1) *Jurjurandum*, ut in *l. 1. §. 24. ff. de jurej. l. 3. C. si min. se major. l. 6. §. f. C. de reb. cred. l. 32. circa med. C. de fideic. autb. quod obtinet. C. de probat.* idque fit ob nexum & propinquitatem, quæ jurjurando cum religione intercedit, istud enim in hac fundamentum suum habet, unde & à *Cic. L. 3. Offic. affirmatio religiosa* & in *l. 1. C. de in lit. jurand.* vinculum religionis dicitur. vid. *Schilt. in manud. phil. mor. ad Jpr. c. 2. §. 14. (2) Superstitionem, l. 5. §. 1. ff. de jurej. ibique Gothofr. lit. 1. quomodo*

modo autem ab hac differat, notat Id. ad l. 30. ff. de pæn. lit. e. Cic. de divinit. it. de fato. Lactant. L. 4. l. D. c. 28. Add. Schilt. l. c. §. 4. (3) *Conscientiam rectam*, ut in pr. l. de Obl. qua ex quasi del. l. 6. ff. de var. & extraord. cogn. ibi: quantum religioni iudicantis æquum visum fuerit. Hinc & obstringere religione denotat idem, ac conscientia metum incutere. (4) *Vim aliquam obligandi*: unde dicitur Religio officii. Cic. pro L. Murena p. m. 129. & orat. pro Syll. p. m. 247. Religio jurisjurandi. l. 6. C. de reb. cred. add. l. 18. & 28. C. de inoffic. testam. (5) *Actum illicitum atque peccaminosum*. (6) *Fidem Christianam*. ut in l. 1. C. de summ. trinit. Hujus acceptionis cum priori differentiam indigitant versus:

Quos non in Christi conjungit dogmate constans
Religio, hos fratres dicere religio est.

(7) *Curam ceremoniarum*. Bartolus ad d. l. 1. C. de summ. trinit. n. 5. (8) *Certum statum & conditionem hominum*, qui speciali modo ac regula se Deum colere putant. 2. f. 30. (9) *Virtutem moralem*, seu pietatem in justo debitoq; honore & timore Dei consistentem; quo sensu accipitur in l. 2. ff. de l. & l. & l. un. C. nem. licet. sign. vid. Balduin. de cas. consc. L. 2. c. 5. in princ. Et hæc propria atque nativa hujus vocabuli significatio est, cumque tribus antecedentibus potissimum huc pertinet.

§. 7. In postrema ista significatione variis quoque Synonymis Religio effertur. Sic passim in Scriptura S. & Jure Civili nominatur cultus vel observantia. Jac. 1. v. 27. l. 15. §. 6. ff. de exc. Pietas. Tim. 4. v. 7. 8. Honor Dei. Job. 5. v. 23. Veritas. Job. 17. v. 17. Cultus Dei. l. 3. C. de Jude. vel, Deo conveniens: Reverentia Dei: Recta atque irreprehensibilis fides. l. 5. in pr. C. de sum. trin. Græcis dicitur, εὐσεβεία, πίστις, θεοσεβεία, εὐλαβεία, ἀλήθεια, θεοπέπεια, θεοσεβεία, λογική λατρεία. Vid. Meissn. phil. söbr. p. 2. S. 1. c. 1. §. 4. Dannh. in coll. decal. disp. 2. §. 15. p. m. 64.

B

§. 8.

§. 8. Definiri potest hoc sensu (cum propter subjectarum specierum diversitatem generali definitioni commode includi haud possit,) quod sit virtus moralis, circa debitum cultum & honorem, Deo exhibendum occupata. Ad idem fere recidit definitio, quam exhibet Lessius *L. 2. de J. & J. c. 36. dub. 1.* Greg. de Valent. *tom. 2. disp. 6. q. 1. pun. 1.*

§. 9. Divisiones Religio varias patitur. Sic dispescitur (1) Ratione formæ, in *veram seu Orthodoxam*, quæ in verbo Dei præscribitur, & *proprie* religio vocatur: & *falsam seu heterodoxam*, quæ ab hominibus ingenii sui fiducia excogitata est, & vocatur *Superstitio*. Balduin. *de cas. conf. L. 2. cap. 5. in pr.* (2) Ratione exercitii, in *publicam*, quæ in congressibus publicis peragitur: & *privatam*, quæ intra privatos parietes à domo vel familia aliqua instituitur. Bald. *l. c. cap. 6. in pr.* (3) Ratione subjecti, in *Christianam*, quæ in veri & trinitus Dei: & *Ethnicam*, quæ in idolorum & fictitiorum Deorum cultu consistit. *Illa* rursus in *Pontificiam*, *Lutheranam* & *Calvinianam* dispertita est, quæ singulæ ferè in certas iterum species sese diffundunt. Harum naturam hic examinare, cum instituti nostri non sit, ideo cupidos hujus rei ad Theologorum scholam remittimus.

PARTIS SPECIALIS

SECTIO I.

continens

Potissimarum controversiarum, in Imperio, religionis causa, ventilatarum, enarrationem, & circa easdem juris publici insectam dispositionem.

§. 1.

Inter ea, quæ ad felicitatem & augmentum bene constitutæ Reip.

Reipubl. facere possunt, non malè retuleris tranquillitatem & concordiam, ad quas stabiliendas non parum conferret, si una ubique ab omnibus servaretur religio : hæc enim sicut pacis & concordix vinculum inter cives arctius constringit: Spreng. in *Jpr. publ. tit. de stat. imp. p. 196.* ita diversitas sententiarum de fidei articulis animos divellit, excitat odia & pacatum Reipubl: Statum non mediocriter labefactat. *Lipf. L. 4. polit. c. 2. Burgoldensis. ad J. P. p. 2. d. 3. §. 1. Ziegl. de Jur. majest. L. 1. c. 24. §. 1. & 7.* qua de re superiori jam seculo, in multis comiti-orum conventibus, conquesti sunt Imperator & ordines imperii, quibus religionis diversitas non postrema dissensionum, diffidentix & dissidiorum causa visa fuit, uti apparet ex *R. I. de A. 1526. §. und erslich. R. I. de A. 1541. in pr. R. I. de A. 1544. §. Dieweil aber. R. I. de A. 1548. §. Und nachdem wir. R. I. de A. 1555. §. Und als der Churfürsten.* quorum verba recenset Reink. *de Reg. Sec. & Eccl. L. 1. ch. 2. c. 10. n. 6.* Ut hinc felicem terque quaterque beatam summo jure deprædicaveris Rempubl. istam, in qua una eademque viget religio. Et quare non una? cum non nisi unicus Deus, unum Evangelium, una fides & veritas, *Eph. 4. v. 5.* cujus viam omnibus atque singulis pari passu incedere fas est. Istam verò viam ingredi volentibus, Dux præeat opus est, qui aditum præparet, & ne qua procedentes morari possit offensio, sollicitè prospiciat, id quod ad principem & magistratus pertinet, quorum est invigilare subditorum salutem, quæ non facile periclitabitur, si conservandæ & propagandæ religionis studium suscipiant, omnibus nova dogmata spargentibus summo conatu resistent, & strenuè laborent, ut unus isque verus inter omnes obtineat Deum colendi modus, vid. *Carpz. in Jpr. cons. L. 1. d. 1. & 29. n. 2. 7. Bodin. L. 6. de Rep. c. 1. p. 986. Ziegl. de Jur. Maj. L. 1. c. 14. §. 2. Meisn. p. 3. phil. sobr. Sect. 2. c. 2. q. 5. §. 4. Bald. L. 2. c. 6. cas. 2.*

§. 2. Hoc religionis promovendæ studium, multos, quibus librorum potiùs quàm animarum cura incumberebat, tanto ardore occupavit, ut nullos planè religionum discordias in Republ. tolerandas esse firmiter sibi persuasum habuerint, in tantum ut iuste magistratum facere, & animarum æque ac publicæ salutis quàm optimè consulere, crediderint, si dissentientes in religione quocunque modo ad fidem cogat. Et ex horum numero sunt Bellarm. L. 3. de Laic. c. 18. Brunus L. 3. de Heret. c. 15. Ludov. ab Hagen. Diss. de fide hæreticis servanda c. 10. Hanc sententiam jam olim quoque propugnarunt Pontificii, qui ut unam in terris suis religionem introducerent, atrocissimis & sanguinolentis mediis, ferro nimirum & igne, recedentes à Romana Ecclesia subditos, ad superstitiones suas compellere, non dubitarunt. Testatur hoc Inquisitio Hispanica, quæ in ditionibus primùm Hispanicis, unde etiam nomen traxit, propullulans, postea in Italiam penetravit, ubi à Sixto IV. Pontifice Apostolicâ autoritate firmata est: exinde, quoque in Germaniam nostram aliasque exterâs oras divulgata, incredibili sævitia multorumque millium exilio ac morte ad nostrâ usque tempora propagata est. vid. Sleidan. L. 19. comm. p. 677. & L. 22. p. 784. ubi de inquisitorum potestate. add. Carpz. de L. R. c. 3. S. 5. n. 12. seqq. Sed quis non videt inventum hoc esse Diaboli, & tanquam impium omninò improbandum. Digna est hoc nomine, quæ laudetur prudentia Venetorum, qui legatum Pontificis, inquisitionem obrudere volentem, hoc responso remiserunt: *Velle se in religione peccantes punire, sed non Hispanorum more.* Tales gubernatores pro salute subditorum vigilantes & de religionis cura sollicitos, quæ vis Republ. si nunquam non haberet, melius fortassis cum Christiano orbe ageretur, nec dubitandum esset, quin illæ dissidentium opinionum horribiles procellæ, quæ tot Republ. jam miserè exagitarunt, si non prorsus sedari, magna

gna tamen ex parte componi possint. Sanè enim ita sese res habet cum religione, ut non jubendo, sed suadendo cordibus hominum imprimi, non ferro & armis obrudi, sed legitimis persuasionibus instillari velit. Quamobrem si magistratus aliquis Christianus, cui libera & absoluta potestas est, iusto pietatis Zelo ductus, reformationem aliquam, ob errores in Ecclesiam irreptos, suscipiendam necesse duxerit, aut etiam novam aliquam, veritati cœlesti maximè convenientem, doctrinam, denudò introducere intendat, bona institutione & informatione, imò etiam præmiis, subditos ad puriorem doctrinam invitare & allicere poterit, ut hac ratione, absque omni vi & coactione, paulatim ab hæresi abducantur dissentientes, atque vi verbi, non ferri ad fidem convertantur. vid. *cap. quid autem* 1. *cap. qui sincera* 3. *dist. 45.* Reink. *L. 3. cl. 1. c. 6. n. 9.* Quæ remedia si sufficientia hæud sint, ut avitos errores, animis firmiter inhærentes, evellere possint, præstat acquiescere & tolerare ea, quæ mutari nequeunt, quàm violentis mediis & minis tenaces subditorum animos ad seditionem & turbas excitare, cum infrequens non sit, quod everisiones Rer. mpublicarum, ejectiones Regum ac Principum, interneciones hominum, reformationem inseguræ fuerint. Nam quid aliud Galliam motibus internis inquietavit, ejusque annuos proventus diminuit? quid Belgium à *Philippi II.* Hispaniarum Regis obedientia avulsit? quid *Jacobum II.* non ita pridem Angliæ Regem, purpura ac scepra exutum, exilio tantisque vitæ periculis exposuit? quàm intempestivè cœpta reformatio. Plura exempla vide apud Tholosan. *L. 12. de Rep. c. 5. n. 12.* Thuan. *L. 79. hist. p. 178.* Sleidan. *L. 19. p. 677.* Lex igitur prudentia tali casu suadet, ut ex duobus malis minus eligat magistratus, nec eos intempestiva severitate tollat, quos paterna lenitate corrigere debebat. vid. Spreng. *in Jpr. publ. tit. de Stat. imp. p. 296.* Reink. *L. 2. clas. 3. c. 3. n. 52. seqq.* Classen. *Pol. L. 3. c. 3. §.*

13. seq. Gerh. in *L. de Mag. polit.* §. 198. seqq. Balduin. *L. 2. cap. 6. c. 3. 4.* Meisn. *p. 3. P. 8. Sect. 2. cap. 2. q. 5. §. 6.* Grot. de *J. Bell. & Pac. L. 2. c. 20. §. 48. 49.* Amel. de *Consc. L. 4. c. 3. §. 14.* Movit hoc olim *Nervam* Imperatorem, ut edicto generali vetaret, ne qua in vitam aut religionem cujusque fieret inquisitio. Hoc quoque consideravit *Alexander Severus*, quum ipse Gentilis Christianis templum Romæ concederet, nec non *Constantinus M.* qui omni felicitate auctus est, quod Christianis permisisset, ut certa statutaque loca haberent, in quibus sups conventus agerent, *Camerar. p. 1. borar. succif. c. 58.* Insigniter etiam hoc nomine commendatur Imp. *Valentinianus*, de quo memorat *Ammian. l. 20.* ipsum hoc moderamine principatus inclaruisse, quod inter religionum diversitatem, mediis steterit, nec quenuquam inquietaverit, nec interditiis minacibus subditorum cervices ad id, quod ipse colebat, inclinavit, sed has partes intemeratas reliquerit. Id ipsum quoque laudatur in *Carolo V.* qui suggestionibus *Clementis VII.* opugnationem Lutheranae religionis importantibus, graviter resistit, hoc denique responso dato: *Ut parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus ac religionibus vitia quedam dissimulanda esse, fundamentum in Ecclesia retineri oportere.* *Goldast. tom. 3. constit. imp. p. 506.* Nec alia de causa Turcicum imperium in tantam amplitudinem excrevisse ipsi Turcae sibi persuasum habent, referente *Camer. l. c. p. 265.* Et certe si testimonia adversariorum, ad ipsos convincendos aliquid valent, uti multum omnino valent, ipsa Pontificiorum quorundam scripta hoc testari possunt, quorum sententia huc fere reddit: ut si princeps sive magistratus impedire non possit, absque graviori incommodo & detrimento societatis, quo minus subditi ab haeticis superstitionibus abduci, & verae Ecclesiae associari possint, ad evitandum majus malum, plurimarum religionum exercitia, in una regione, salva conscientia, tolerare pos-

possit. vid. Molan. *L. 1. de fide heret. serv. c. 2.* Becan. *L. 5. Manual. c. 15.* & *in Diss. de fide heret. serv. c. 10. rb. 14.* Thomas *secunda secunda. q. 10. art. 1.* Molin. *tr. de I. & I. d. 335.*
§. 3. His consequens est, quod bellum legitimus modus haud sit, adigendi subditos, ad novam religionem amplectendam, aut etiam corruptelas & contraria dogmata in Ecclesiam ingruentia, tollendi: multo minus extraneo fas erit, ut populum, à sua jurisdictione & imperio remotum, religionis causa aggrediatur. Covarruv. *in cap. peccatum de R. l. in 6to. p. 2. §. 10.* Ziegl. *de J. M. L. 1. c. 33. §. 55. 57.* Meisn. *P. 5. p. 3. S. 2. c. 2. q. 8.* Imperare enim velle conscientis, & cogere animos, ut credant id, quod credere nolunt, aut pro falso habeant, quod verum autumant, uti conatus irritus & res impossibilis, ita dicente Maximiliano II. Imperatore, maxima tyrannis est. Pietas armis inimica est, & coactionem religionis negotium non admittit, ideoque pro adstruenda ea, verbo potius Dei & gladio spirituali, quam materiali opus erit. Recte hanc in rem Lactant. *L. 5. l. Div. c. 20. Inducenda religio non occidendo, sed monendo, non severitia, sed patientia, non scelere, sed fide, quia longe diversa sunt carnificina & pietas, nec potest aut veritas cum vi aut justitia cum crudelitate subsistere.* Adde latè Ziegl. *de J. M. L. 1. c. 16. §. 3. seqq.* Carpz. *dec. ill. 84. n. 8. 19.* Reink. *L. 2. cl. 3. c. 2. n. 52. seqq.* Meisn. *phil. Sobr. p. 3. S. 2. c. 2. q. 3.* D. Bajer. *in Diss. de propagatione fidei per vim armorum.*
§. 4. Quare si religionis exercitium & cultus liber à vi externa insultus patiatur, (secundum distinctionem traditam à Reink. *L. 1. cl. 1. c. 5.*) Subditi quidem & Privati, quibus præter parendi gloriam nihil est relictum, quamvis causa resistendi iusta non destituantur, quia tamen jus gladii & agendi per vim ipsis non competit *l. un. C. ut arm. us.* Tiraq. *de nobil. c. 20. n. 467.* Grot. *L. 1. c. 4. & L. 3. c. 19. §. 6.* eogentè supe-

riore melius agunt, si temporali huic persecutioni preces & lachrymas opponant, aut sarcinas colligant & Christi iussu ambulent. *Matth. 10. v. 23.* Quod ipsum si absque discrimine vitæ facere haud possint, defensionem sui vim vi repellendo licite suscipere possunt, imo etiam iubentur. Ii verò, qui præter Deum & enssem, in territoriis suis, superiorem non recognoscunt, aut etiam licet subditi sint, tanquam *magistratus* tamen *subordinati*, atque liberi, ac in partem sollicitudinis atque curæ Reipubl. assumti, adversus oppressores religionis, sive exteros sive domesticos, urgente summa & inevitabili necessitate, armis se defendere jure poterunt, cum quod in religionem committitur, in omnium feratur injuriam, rescribente *Arca- dio & Honorio Impp. in l. 4. C. de heret.* summaque & optima ratio putetur, quæ pro religionis tuitione facit *Zaf. ad l. placuit. n. 10. C. de Judæis.* Rectè hinc *Maximianus* Episcopus *Vagiensis* auxilium petiit ab Imperatore *Christiano*, contra hostes Ecclesiæ, non tam sui ulciscendi causa, quàm tuendæ Ecclesiæ sibi concreditæ. Quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed culpanda negligentia, ut *Augustinus* scribit ad *Bonifacium Ep. 50.* cujus verba extant *in c. 2. c. 23. q. 3.* Hoc quoque sacrarum literarum testimonia nobis significant *Nehem. 4. v. 14. Machab. 1. v. 43. seqq.* vid. *Polan. Syn. Theol. V. 2. L. 10. c. 67.* Idem ex *Rec. Imper. colligere licet: vid. R. I. Ratisb. de anno 1532. §. Und damit solcher. ibi: und zu Beschirmung unsers Christlichen Glaubens. Hinc etiam Status Imperii Romani dicuntur defensores & protectores fidei Christianæ. R. I. de anno 1524. §. als auch vielgedachte: ibi: Die Stände des Heiligen Reichs als Schützer und Schirmer des Christlichen Glaubens. Conf. *Zieriz. in disc. de fœd. Smalk. concl. 85. seqq.* *Waremund ab Ehrenb. 2. de fœd. n. 59.**

§. 5. Hæ quæstiones uti ab erudito orbe calamis, char-
 tis

ris & atramento, ita ab imperante, gladiis, lacertis, & humano sanguine mirum in modum propugnata & agitata, plurimas seditionum filias peperere & dissensionum nutrices excitaverunt, quæ totum orbem Christianum pestilenti veneno infecerunt. Lanf. in *conf. Europ. p. 688.* Horrescit adhuc Germania nostra memoriam cruentissimi belli tricennalis, non alia quam religionis causa suscepti, quod quam exitiosum Imperio fuerit, adhuc nostra, proh dolor! sentiunt tempora. Cum vero absque prævia cognitione belli istius, aliarumque discordiarum, hoc & superiori seculo ventilatarum, cætera controversiæ commode enucleari haud possint, non incommode faciemus, si prius brevem istarum enarrationem præmittamus.

§. 6. Ut autem ab ovo (quod dicitur) omnia arcessamus, res sic se habet. Postquam potentia sedis Romanæ, prospero rerum successu elata, maiora indies incrementa caperet, continere se intra terminos amplius haud poterat, sed pleno gradu ad tyrannidem tendebat. Nemo erat tum temporis, qui cursum hunc inhiberet. Hinc non in corpora tantum, effusa quadam licentia, grassabantur Pontifices & malis artibus omnia ad se trahebant, sed etiam in conscientias carnificinam exercebant, fictitiisque traditionibus omnem Ecclesiam inquinabant. Ex hoc fonte malum istud atque lues pessima ad inferiores etiam Ecclesias dimanavit: unde factum, ut erroribus innumeris atque abusibus tota fere scateret Germania, totque calamitatibus pressa ac pene oppressa Ecclesia in deterius quotidie vergeret, uti late hoc ostendit Sleidan. *de stat. relig. L. 3. §. 4. Burgoldensis ad J. pac. p. 1. d. 1. §. p. 2. disc. 2.* Primus erat qui corruptelis hisce strenue se opposuit anno 1517. Vir de Ecclesia nostra optime meritus *Martinus Lutherus*, (cujus insignem Zelum deprædicat *Burgold. p. 2. disc. 16. §. 5.*) tum temporis *Professor Wittebergensis*, ob id et-

C

iam

iam, quod orbem eruditum, inter Numen divinum & Pontificem Romanum, recte distinguere docuit, tanquam hæreticus a Leone X. Papa anno 1520. excommunicatus (Sleidan. L. 3. p. m. 53.) & a Carolo V. in comitiis Wormatiensibus, anno 1528 d. 8. maji: executione licet non secuta, proscriptus, Sleid. L. 3. p. m. 75. & 76. Hujus ardor & religionis amor multos etiam Principes & civitates liberas Imperii incitavit, ut malo huic obicem ponere, variis modis contenderent. Verum perverfitas temporis illius omne remedium videbatur excludere; fraude enim & malitiosis ausibus Pontificis ejusque asselarum factum est, ut omnia comitia, ab anno 1521. usque ad annum 1532. immensis fere sumptibus, ad conciliandas religionum discordias, instituta, inani eventu dilaberentur: cum ea, quæ in iis decernebantur, maximâ ex parte ad oppressionem Evangelicorum tenderent, sicque majoribus discordiis ansam præberent; ea vero, quæ in favorem illorum videbantur introducta, rursus redderentur elusoria. Sic quidem Norimbergensia anno 1524. causæ Lutheranorum non adversari, & Spirensia anno 1526. instituta multum eidem favere videbantur, sed Spirensia anno 1529. & Augustana, subsequenti anno habita, pro partibus illorum haud faciebant. In istis enim decretum adversus Status Evangelicos est propositum, cui primo Principes nonnulli constanter se opposuerunt, quorum protestationi deinde Civitates aliquot imperiales communicato consilio accesserunt. Hinc origo nominis Protestantium appellationem traxit, non solum per Germaniam sed exteris quoque terras divulgatum. Sleidan. L. 6. p. 195. seqq. In Comitiis Augustanis Confessio Augustana à Protestantibus coram Imperatore recitata eidemque postea exhibita fuit, cui à Theologis quibusdam Pontificiis contrarium quoddam scriptum & confutatio opposita, quam & ipse Imperator approbavit, teste Sleidano L. 7. p. 214. Postquam itaque religionis dis-

fidium

fidium hoc modo componi non poterat, Status Evangelici, ut de libertate religionis, hactenus constanter asserta, in posterum quoque sibi prospicerent, Smalcaldia convenerunt, ibique foedus defensivum invicem inierunt; Quæ confœderatio facem accendebat majoribus dissidiis, ita ut Imperator, causam, quam leniter sopiri non posse, animadvertebat, armis opprimere anniteretur. Hinc igitur ad gravissimum bellum res pervenit, ob tot tantasque strages hominum & captivitates Principum, nec non devastaciones provinciarum, toti Imperio pernitiosum. Labefactis belli diuturnitate ab utraque parte viribus, mediante *Ferdinando* fratre Imperatoris, ad concordiam rursus discordantes animi inclinare cœperunt, quo facto anno 1552. *Passavia* conventum, ut libertas religionis cujusque maneret inoffensa, usque dum, in Comitiiis proximè instituendis, omnes lites religionem concernentes componerentur. Insecutis igitur anno 1555. *Augusta Vindelicorum* Comitiiis, *Pace*, uti vocant, *Religiosa* in imperio promulgata, utraque religio tam Pontificia quam Evangelica est permissa, ita ut ab una ad alteram liber sit transitus, absque honorum famæ vel honoris jacturâ. vid. §. und damit solcher Friede etc. in verbis: sondern bey solcher etc. add. Ziegl. de jur. majest. L. 1. c. 14. §. 4.

§. 7. Quæ hoc modo lites in totum videbantur extinctæ, postea sub regimine *Matthia*, occasione Sectæ *Calvinianorum*, noviter tum oriundæ, iterum excitari cœperunt. Illi sub *Pace Religionis* non erant comprehensi, uti claris verbis habetur in *Rec. Aug. de anno 1555. §. doch sollen*. in verb. doch sollen alle andere etc. Et ex hac aliisque rationibus Augustanis indulgiam privilegiorum competentiam multi ipsis denegarunt. Spreng. in *Jurispr. publ.* p. 194. Carpz. in *Jurispr. confist.* L. 2. d. 266. num. 16. seqq. *Limnaus* L. 1. de 7. P. c. 12. n. 32. Ut vero libertatis, circa religionem concessæ, sese participes

redderent, Augustanæ confessionis fratres se afferbant, quam
tamen fraternitatem nuspiam fundatam, & a nostris acceptan-
dam non esse, fusius demonstrat Meisn. P.S. p. 1. Sect. 2. c. 3. §.
4. p. 357. seqq. Carpz. de L. Reg. c. 6. sect. 4. num. 26. 27. Hæc
controversia diu multumque agitata, accedentibus subinde,
aliis, quarum non minima erat, quæ restitutionem bonorum
Ecclesiasticorum, post transactionem Passaviensem a Prote-
stantibus occupatorum, edicto Ferdinandi II. anno 1629, præ-
ceptam, concernebat, tandem in perniciosissimum tricenna-
le bellum exarsit, quo libertas Germaniæ & religionis haud
dubie naufragium passura fuisset, nisi Deo dirigente Rex Sue-
ciæ Gustavus Adolphus cum primis (variis causis motus, quas
recenset Pufend. in der Einleitung zu der Histor. c. 8. §. 16.)
se interposuisset; eamq; ab oppressione & interitu, multo li-
cet sanguine humano, vindicasset. Post varias ab utraque
parte clades & ancipitem belli fortunam denique sub impe-
rio Ferdinandi III. Osnabrugi in Westphalia inter Imperatorem
& Status pace initâ, cõstitutio facta est, quæ Instrumentum Pa-
cis vocatur, edictis executorialibus d. 7. Novembr. anno
1648. & die 2. Mart. anno 1649. firmata. Sublatâ in-
ea sententia religionis causa susceptæ discordiæ, ferro & igne ha-
ctenus propugnata, & Pacificatio religiosa, jam antea an. 1555.
in Comitibus Augustanis facta, denuo confirmata est. In eam-
quoque Reformati fuerunt recepti, ita ut, præter liberum re-
ligionis exercitium, etiam privilegia Lutheranis & Pontificiis
communia, ipsis indulta fuerint. Instr. Pac. art. 7. Cautum insi-
mul & provisum, ne, præter hæc religiones, ulla alia in sacro
Rom. imperio recipiatur vel toleretur. d. art. 7. in f. 5. & 8.
Burgoldenf. ad J. P. part. 2. disc. 21. §. 3. Jurisdictio Ecclesiasti-
ca etiam principibus protestantibus & Statibus immediatis in
Pace religiosa tributa, hæctenus vero à Papa iterum præten-
sa, iisdem denuo firmata. vid. Illustr. Dn. Praeses in Analect. ad
Schved.

Schved. Jus publ. p. 1. c. 3. §. 22. & part. 2. Sect. 2. cap. 12. §. 1. Carpz.
in Jpr. consist. L. 1. d. 2. Burgold. ad J. P. p. 2. disc. 16. §. 4. 5.
Alia insuper quamplurima privilegia, ad religionem evangeli-
cam stabiliendam facientia, de novo concessa sunt, de
quibus vid. J. P. art. 5. 7.

§. 8. Hæc omnia firmiter adeo & valide inter Impera-
torem & Ordines Imperii fuerunt decreta, ut communi cōsen-
su perpetuæ legis & pragmatice imperii sanctionis vim obti-
nere voluerint. d. J. P. art. 51. §. 31. mehrex dieser: ita ut pœ-
nam fractæ pacis ipso jure incurrat, qui ulli pacificationis ar-
ticulo contraverit. ibid. §. derjenige gber. Max. p. 1. dec.
187. n. 1. Et isthac ipse etiam Imperator, non secus ac aliis
LLbus fundamentalibus obligatur; unde & postea in Capit.
Ferdinandi IV. art. 2. & capit. Leopoldi art. 2. expresse fuit sta-
bilita. Add. Burgold. ad J. P. part. 2. disc. 19. §. 2. Carpz. ad L. R.
c. 3. sect. 8.

§. 9. Sic tandem aliquando, cum satis diu scriptis & ar-
mis pugnatum esset, facta est concordia in discordante Ger-
mania: quamvis disimulandum non sit, hanc concordiam
t. ntæ latitudinis & efficaciæ haud fuisse, ut omnem discordiæ
& diversitatis materiam penitus discutere potuerit, cum in
aperto sit, (uti ex sequentibus patebit) quod etiam hodie-
num permultæ circa religionem supersit controversiæ,
quarum quam plurimæ ex ipso Instrumento pacis propullula-
runt, & sic nihilominus gliscat ad huc discordia in concor-
data Germania.

§. 10. Sic licet aurea pax ista, uti ex art. 17. constat, adeo
firmata sit, ut nulla ex parte impugnari possit, non tamen ces-
sant tranquillitatis Turbatores & Ofores concordia Pontifi-
cii, modis omnibus eam impugnare, contententes illam ab
initio statim parum authoritatis habuisse, & Imperatorem ad
servandam istam neutiquam obligari, quin imo peccare, si

non contra faciat. Hinc Pacificationem religiosam destrueré conantur, ex defectu consensus Pontificii, qui tanto negotio, quod authoritati & Jurisdictioni sedis Romanæ non parum derogabat, merito superaddi debuisset, ut adeo tanquam non consummatum validitate sua destituatur, quem admodum hæc de causa *Paulus III.* Papa in literis ad *Carolum V.* datis conqueritur, quod falcem in alienam miserit messem, referente *Sleidano L. 16. in pr. p. 520.* Pari modo transactionem *Osnabrugensem* multa cum insolentia nullitatis & imperfectionis arguere ausus est *Innocentius X.* Pontifex in *peculiari declaratione*, uti vocat, *nullitatis articulorum superæ pacis Germaniæ*. Clamat ibi & garrit: *Articulos Pacis Osnabrugensis, quæ de religione ac rebus Ecclesiasticis agunt, esse irritos, nullos, iniquos, & per non habentes potestatem temere contractos &c.* vid. *Ziegl. de J. M. L. 1. c. 13. §. 18.* Enimvero, quia Pontifex nihil cum Imperio commune habet, jusque convocandi comitia, in iisque de bono publico deliberandi & concludendi, soli Imperatori ac Statibus competit, non est quod consensus Pontificis ad negotia religionis in iisdem pertractata sit necessarius, ideoque nec Papalis arbitrii est, pacta conventiona & LL. Imperiales mutare, rescindere, aut nullitatis damnare. *Ziegl. l. c. & c. 5. §. 20.* Neque est quod ad ecclesiasticam Jurisdictionem confugiant, quam in præjudicium Romanæ Ecclesiæ Imperatorem suspendere non potuisse asserunt. Illa enim fastu & nequitia *Hildebrandina* *Cæsaribus* iniquè extorta nullo unquam jure legitimo ipsis competii. *Burgold. p. 2. disc. 16. §. 4.* Imo licet largiamur, Jurisdictionem talem competere Pontifici, & respectu istius assensum quoque ejus fuisse necessarium; juri tamen suo renunciasse & dictam conventionem ratificasse censetur, ex eo, quod nunquam solemniter contra eam protestatus fuerit, is vero qui tacet nec contradicit, pro consentiente habetur *l. 60. ff. de*

R. J.

R. J. Limnæus de J. P. L. 1. c. 13, n. 27. Nugantur & illud, Pacificationem istam vel ex eo irritam esse, quod vi ferroque Casari extorta sit. Verum nec hoc admitti potest ex eo, quod de subacta Germania, nobilissimum tum temporis triumphum agere Casarem potuisse, Pontificii gloriantur, & ipse etiam Casar, ex vero paternoque affectu se inductum, *scienter & volenter* pactum hoc cum Statibus inivisse, in transactione Passaviensi *in pr.* fateatur. Add. late Cz. de L. R. c. 3. S. 6. Spreng. in Jpr. publ. p. 104. Paurm. L. 2. c. 2. num. 80. seqq. Opponunt ulterius Papicolæ, dictam Pacificationem rescissam esse Concilio Tridentino, ad quod spectare volunt verba ejusdem, in §. und nachdem eine 1c. verb. so haben wir 1c. Sed quia concilium istud, à solo Pontifice, in loco Protestantibus minus tuto, institutum, & non nisi ex Ecclesiasticis personis conflatum, ex mero arbitrio & nutu Pontificis pendebat, pro pio legitimo & rite celebrato, ad quale in *d. pacif.* provocatum fuit, reputari non potest. vid. Burgold. p. 2. disc. 3. §. 2. 3. Hinc Imp. Pontificiis, executionem concilii Tridentini urgentibus, nunquam in abrogationem Pacis religiosæ consentire voluerunt, sed potius eam toties renovare & confirmare, non dubitarunt. vid. R. J. de anno 1613. vers. und damit solches alles. & Capir. Imp. sup. cit. Carpz. ad L. R. l. c. sect. 7.

§. II. Cum Pacificatio religiosa facultem mutandæ & exercendæ religionis Statibus imperii tribuat, §. und nachdem solcher Friede/ de Nobilibus imperio immediate subjectis der Freyen Reichs Ritterschafft dubitatum fuit, an constitutio isthæc ad ipsos quoque extendenda sit? Negativa videbatur asserenda ex eo, quod Statibus imperii, ad quos tamen verba pacif. unice restricta erant, connumerari haud possint, cum sessionem ac jus votandi in Comitibus non habeant. III. Dn. Præses in anal. ad jus publ. p. 2. sect. 2. c. 18. §. 5. Limnæ. de J. P. L. 6. c. 3. Sed hoc dubium in J. P. sublatum, per art. 5. §. 10.

§. 10. & Art. 17. §. und sollen ic. iisdemque, ex privilegio & prerogativa aliqua singulari, præ civibus mediatis, familia jura, quibus alii status fruuntur, concessa. Ill. Dn. Praeses l. c. cap. 17. §. 1. Syring. de pace rel. concl. 40. Paurm. de Jurisd. L. 2. c. ult. Biedenb. qu. nob. 4. n. 1. De Civitatibus liberis & imperialibus expeditum est, quod sub Statibus imperii comprehendantur. vid. Reink. L. 1. clas. 4. c. 20. n. 24. Syring. de pac. rel. concl. 39. Gail. 2. O. 57. n. 7. Mindan. L. 1. de proc. c. 31. id eoque etiam vi Superioritatis territorialis ipsis competente, (Reink. L. 1. cl. 5. C. 1.) consentientibus omnium civium ordinibus, jus immutandæ religionis habent, ejusque connexos actus juris Episcopalis exercere possunt. v. Pacif. rel. §. nachdem aber in vielen Frey- und Reichsstädten, junct. §. und damit solcher Fried. add. Ill. Dn. Praef. l. c. Reink. l. c. §. 12. seqq. Besold. L. 6. conf. 298. it. de jure imper. civit. in immut. relig. num. 1. 2. Cran. de pac. relig. p. 1. con. 2. probl. 3.

§. 12. Num vero ad Cives, Vasallos, Landsassos, atque subditos dicta Constitutio extendenda sit, ita sc. ut invito magistratu aut Domino exercitium religionis abrogandi & aliud inducendi potestatem habeant, altioris indaginis quaestio est. Negativa probatur exinde, quod liberum religionis exercitium solis Statibus subditisque Imperii immediatis competat, adeoque subditi mediati excludantur, uti haud obscure colligitur ex Pacif. §. und damit solcher Friede, in vers. so sollen die, & §. seq. dagegen sollen. vid. Modestin. Pift. Vol. 2. conf. 6. n. 50. Cothm. Resp. 30. n. 345. Knichen. de subl. territ. jur. c. 3. n. 148. Mindan. L. 1. de proc. c. 3. n. 4. seqq. Cz. in Jpr. conf. L. 1. d. 3. Argumenta pro subditis facientia recenset Cz. dec. ill. 83. a. n. 5. ad 12. eademque solvit ibid. n. 25. seqq. Hæc quoque controversia extincta est, per J. P. art. 5. §. 12. in pr. quo dispositum, ut jura Vasallis, subditis atque Landsassis in profanis competentia, ut & Liberum religionis exercitium, cum

• eum juribus annexis, eo in statu quo *1. Jan. anno 1624.* fuerunt, à dominis diversam religionem profitentibus, inviolata relinquuntur, ea vero quæ amiserunt, iisdem restituantur. *J. P. art. 5. §. 11. 12.* Qui igitur civium vel subditorum *anno 1624.* publicum vel privatum religionis exercitium non habuerunt, sed tamen ab illo tempore, usque ad pacem publicatam, diversam à magistratu loci religionem & sacra fovere cœperunt, facultatem publicè sacra, juxta religionis suæ ceremonias & ritus, peragendi, aut conventicula privata instituendi non habent, sed *vigore Juris reformandi*, quod pleno jure Principi in territorio suo competit, expelli possunt. *Vid. Dn. Seckend. im Teutschen Fürsten Staat. p. 2. c. 15. n. 3. seqq.*

§. 13. Jus verò istud reformandi, ad modò dictum tantummodo casum restrictum est in iis, qui pacificè, citra offensionem magistratus & concivium, vivunt, & devotionem suam privatim in cordibus atque domibus absque turbatione atque scandalo partis adversæ peragunt: hoc enim casu conscientis ipsorum nulla vis inferenda, nec propterea territorio expellendi sunt. Multo minus prohibendi, quo minus vicinis in locis publicas conciones frequentent, sacrorumque administrationi intersint, uti clare hac de re disponit *J. P. art. 5. §. 12. vers. Es ist auch §. 12. vers. was aber.* Quapropter si quis Augustanæ confessioni addictus, sed in pago Pontificio aut Calviniano habitans, infantes ex se natos ministris illius Ecclesiæ baptizandos offerre nolit, (quod utique salva conscientia facere non potest; *Balduin. L. 2. cap. 6. cas. 7. p. 302.* nisi in extrema necessitate, quando copia ministri orthodoxi haberi nequit. *Id. cap. 9. cas. 5.*) alibi in viciniam eos transferre potest, ut istic ab Orthodoxis Ecclesiæ ministris sacramento baptismi iniciantur, qua de re extat responsum apud *Ziegl. de jur. majest. L. 1. c. 14. §. 4.* Pari modo, cum Lutheranis à sacra Coenà in Ecclesiis Pontificiorum vel Calvinianorum

D

ab-

abstinendum sit, (vid. *disp. de Sacra eena, c. 1. §. 2. sub tutamine*
III. Dn. Præsid. habitam. Balduin. *cas. 7. §. cap. 12. cas. 10.*) nec hoc
casu sacramenti hujus usum alibi in orthodoxorum coetu qua-
rere, prohibendi sunt: per *J. P. L. c. 131. §. 1. 2. 3. 4. 5.*

§. 14. Ex dictis simul patet, quod Status imperii Ca-
tholici, subditos religione à se disidentes, ad Missam aut alias
superstitiones Pontificias cogere non possint. Burgold. *p. 2.*
disc. 14. §. 3. Spreng. *in 7pr. publ. p. 195.* Quod si verò Refor-
matus v. c. vel Lutheranus, in loco tali, ubi alia viget
religio, vel scandali causa, vel quod cultui divino commode
vacare non possit, morari nolit, cogi non poterit amplius ma-
nere, aut religioni sibi adversæ nomen dare, quod superiori
tempore multis in locis fieri solebat, sed integrum cuilibet
erit, in aliam provinciam emigrare, salvis bonis suis, quæ aut
alienare, aut administratione illarum aliis commissâ, retinere
poterit, ita ut ipse, quoties ratio postulat, ad res suas inspici-
endas, vel persequendas lites, aut exigenda debita, liberè &
sine literis commeatus redire & abire rursus possit; quo res-
pectu *Emigratio non necessitatis est, sed liberæ & spontaneæ volun-
tatis* dici potest: Et hoc beneficium, ceu saluberrimum re-
medium consulendi conscientis subditorum, olim jam in-
dultum est in *Pacif. relig. §. wo aber ic. & repetitum in 7. P.*
art. 5. §. 12. vers. da aber ein ic. vid. Illustr. Dn. Præs. in *A-*
nal. ad jus publ. p. 2. Sect. 2. c. 12. §. 3. Cf. Syring. *de pac. relig.*
concl. 33. Limnæus *de jure publ. L. 1. c. 13.* Burgold. *p. 2. disc. 14.*
§. 5. Schvvanm. *obs. 147.* Schoenborn. *polit. L. 4. c. 6.* Carpz.
dec. ill. 84.

§. 15. Emigrationem verò jubere non potest Princeps,
si ad aliam religionem ipse transierit, aut ditionem aliquam
alterius religionis, successionis jure vel alio aliquo titulo, ad-
ceptus fuerit. Hoc enim casu ipse quidem sacris suis privatim
vacare non prohibetur, sed hoc ita fieri debet, ne subditis
præ-

præjudicetur, ut qui jura & privilegia sua salva & integrâ retinere, neque ullo sub prætextu in religionis negotio turbari aut incommodum sustinere debent. Quod si verò motu libero Domini religionem amplecti voluerint subditi, poterit suo sumtu, salvis juribus aliorum, liberum religionis exercitium concedere Princeps, quod ipsis à successoribus auferendum autem violandum non est. vid. *J. P. art. 7.* Quid vero an princeps pacisci poterit, cum statibus provincialibus aut subditis aliena religionis, de permittenda in territorio suo libertate religionis? Equidem si noviter in communitatem aliquam, ubi cetera & una viget religio, recipi, & de libertate hæreseos ejusque exercitio permittendo, prospicere sibi velint secta alicujus in Imperio non approbata homines, pactum tale cum ipsis initum, ceu Legibus & commodo Reip. adversum, pro illicito & non obligatorio reputabitur. Quod si verò communitati, in Rep. aliqua degenti, & diversa à domino territorii in Imperio tamen tolerata sacra colenti, per pactum exercitium religionis liberum fuerit concessum, valide obligabitur magistratus, ideoque conventioni initæ in perpetuum stare tenebitur. *J. P. art. 5. §. 12. 13. & art. 7.* Add. D. Struv. *progym. de jure sacro ad L. 1. t. 5. l. 1. l. 2. l. 8. pr. l. 10. pr. C. de heret. & in dec. Sabbath. c. 2. dec. ult.* Tale verò pactum magistratum Augustanæ Conf. extra necessitatis casum, salva conscientia, inire non posse, demonstrat *Dannh. rom. 1. theol. consc. p. 2. dial. 3. Sect. 2. q. 16. 17.*

§. 16. Hactenus potissimas controversias, inter ipsas personas immediatè religionis causa ventilatas, consideravimus, nunc quasdam, personis resp. bonorum intercedentes, attingemus. Fuit superiori tempore disceptatio, inter *Nobiles immediatos & Principes, nec non Status Ecclesiasticos*, quibus isti ratione bonorum allodialium vel feudaliū, quæ in territoriis ipsorum possidebant, erant subjecti. Prætende-

bant sc. ii. etiam in locis, ubi bona talismodi sita habebant, æque ac in propriis territoriis, jura libertatem religionis concernentia, exercere. Verum hisce suis prætensionibus penitus exciderunt in Transactione Osnabrugensi *art. 5. §. 10.* quo tamen facultas adempta haud videtur, quo minus, si tali in loco domicilium habeant, saltem domi in arce suâ, pro se, liberis & familia, ad vacationem cultus divini, privato verbi divini ministro uti, atque sic privatum religionis exercitium, sibi præservare possint. vid. Mindan. *L. 1. de proc. c. 30.* Gylmann, *tom. 1. p. 1. 2. 3.*

§. 17. Dispositum est in *Pacif. relig. §.* dagegen sollen die Stände ic. ut *census, decime, pensiones & redditus*, Catholicis ex ditionibus ac terris Evangelicorum debiti, absque ulla prohibitione præstentur. Vicissim & Evangelicis permittum, ut eosdem, ex districtibus Catholicis sibi debitos, jure petere & exigere possint, nec in horum perceptione ullo modo impediendi vel turbandi sint. Id quod & expresse confirmatum in *J. P. art. 5. §. 15.* Verum hæc dispositiones tanti roboris non fuerunt, ut omnem controversiam potuerint extinguere. Nec enim infrequens est, ut Catholicis, decimas pastoribus Evangelicis ex terris suis, præstandas, detrectent: Hoc igitur si fiat, vicissim Evangelici, jure retorsionis, decimas Catholicis ex suis agris debitas, retinere possunt, cum æquitati conveniat, ut quod quisque juris in alium statuit, eodem & ipse utatur. *l. 1. §. 1. ff. quod quisque jur. in al.* Cujus asserti iustitia etiam fundatur in *jure divino. Matth. 7. v. 11. Luc. 6. vers. 31.* ut & *canonico. c. justum. 2. dist. 9. c. cum omnes 6. §. cum igitur x. de constit.* vid. Carpz. in *Jpr. consist. L. 1. d. 137. Berl. p. 3. concl. 51. n. 3.*

§. 18. Cum in *Pacif. relig. (§. und nachdem eine Vergleichung/)* nec non *Osnabrugensi (art. 5. §. 1. 3.)* mentio fiat totalis conciliationis, in negotio religionis instituentæ,

de, quæri potest: *An talis compositio religionum inter Pontificios, Lutheranos & Reformatos unquam sperari possit?* Non desunt Scriptores, qui de concordandis religionibus consilia & media subministrare tentarunt, quorum in numero est W. Textor *in tr. de vera & genuina ratione status Germaniæ, p. 687. 688.* Eitel Friederich von Herden *in der Grundveste des Reichs/ p. 326.* Calixtus *de contro. Theol. quæ inter Lutheranos & Reformatos agitantur, & de mutua partiû fraternitate atque tolerantia. it. in Orat. de Concordia Ecclesiastica.* Huc etiam refer Scriptum Autore Anonymo. anno 1685. Argentorati editum, cui titulus: *Articuli fidei præcipui ad unionem utriusque Ecclesiæ Romanæ Catholicæ & Lutheranæ.* Eique similis est, quæ divulgata novissime fuit scheda, sub hac inscriptione: *Politische Vorschläge/ wie die Evangelische und Catholische Kirchmächte und lönte verglichen werden.* Sed hæc singula, in quantum admittenda vel rejicienda sint, Politico Theologis & Jctis dijudicandum relinquitur. Ceterè accuratius inspectâ, opranda magis quam speranda est Ecclesiastica cum Pontificiis & Calvinianis concordia. Innumera enim ex religione orta dissidia adeo distraherunt animos, ut ad concordiam eos revocare velle, desperati laboris opus videatur. Neutra sane pars tantum remittet, quantum alteri sufficere poterit. Nunquam vasta ista librorum discrepantium multitudo ad æqualitatem reduci poterit: Studium contradictionis & disputandi prurigo, ad futes altercationes magis quàm veritatis investigationem partes præcipitabit, quibus involuræ remorabuntur magis quàm promovebunt concordiam, & novis subinde tricis ac controversiis facem accendant. vid. Burgoldensis *ad J. P. p. 2. disc. 3. §. 6.* ubi tandem p. 822. subjicit: *Mea hæc est sententia, consilium compositionis quoad Pontificios nunquam in effectum deduci posse, quamdin Papa Hieromonarchiam suam rigide ut hætenus ita porro exercere*

cere pergit, & Jesuitæ regnum in Catholicorum animos exer-
cent. Idem iudicium est Calovii in *Tr. de nat. & ind. pac. relig.
August.* § 58. Add. Ziegl. de *J. M. L. c. 14.* §. 12. seqq. Joseph.
Hallus in tract. quem inscribit: *Roma irreconciliabilis.* De
*Reconciliatione Romana & Evangelicæ Ecclesiæ cum Reforma-
ta* itidem haud possibili vid. Joh. Hülsemannus in tr. cui ti-
tulus: *Calvinismus irreconciliabilis.* Quàmvis Burgoldens. ad
J. P. p. 2. disc. 21. §. 2. cum Textore de *rat. Stat. Germ. p. 659.* à
parte Lutheranorum nondum omnem spem expirasse exi-
stimet. Quicquid tandem sit, sive adveniat illa dies, qua de
reconciliatione Ecclesiarum & fidei unitate gloriari poterit,
Germania, sive non, nihilominus tamen civilis concordia &
conventiones de religione firmiter ac perpetuo durare de-
bent. *R. J. de anno 1556. §. und nachdem. J. P. art. 5. §. 3.*

§. 19. Ultimo loco monendum duximus, quod cum Ju-
dæi, in plerisque Germaniæ provinciis, medios inter Christia-
nos dispersi, degant, ob diversitatem religionis verò non om-
nia cum istis communia habere possint, operam non ina-
nem fore, si de negotiis quæ ipsis cum Christianis intercedunt,
illorumque jure quædam commemorentur. Dubitatum au-
tem & acriter propugnatum à multis fuit, Judæos in Christia-
na & bene constituta Republica plane, nec recipiendos nec
tolerandos esse, eo quod ab impietate, injustitiâ, usuraria pra-
vitate, invidia & abominandis blasphemis ac mendaciis eo-
rum, in Christum & ejus membra, nil nisi incommoda & pe-
ricula, tam Reip. quàm Ecclesiæ, metuenda sint. Vide quæ
plena manu congestit Gisbert, Voet. *Disp. de Judaismo.* Speck-
han. in *Diatagn. Judeor.* Gilhaus. in *arb. jud. p. 1. c. 1. num. 20.*
Balduin. de *cas. consc. L. 2. c. 6. cas. 5.* At quàmvis facile in lo-
co, ubi quondam non fuerunt, denuo admittendi haud sint,
semel tamen si recepti fuerint, temere ejici non possunt, quia
cha-

charitati Christianæ & rationi Status repugnaret. Id quod etiam *Juri Civili* i. t. C. de *Judeis* & *cælic. Nov. 146.* & *Canonico. t. x. de Jude:* nec non *Aur. Bul. t. 9.* & *Rec. Imp. de anno 1530.* congruum est. Uti verò indiscretè non sunt expellendi, ita nec illimitatè tolerandi. Consultum igitur est, ut Legibus ac pœnis sacra & negotiatiões illorum ita constringantur, ne quicquàm in contemtum religionis Christianæ aut detrimentum Reip. moliri possint, qua de re cautelas exhibet *Meisn. P. 8. p. 3. s. 2. q. 4. Ziegl. de jur. majest. L. 1. c. 41. §. 33. Balduin. l. c. p. 193.* Quibus præsuppositis, salva conscientia in Rep. Christianâ à magistratu tolerari, & si absque scandalo, quiete ac pacificè secundum LL. & Statuta, vivant, ne utiquàm expelli possunt. Vid. latè *Decian. in pr. crim. L. 5. c. 11. Marq. de Sufanis de judeis p. 1. c. 7. Roland. à Valle V. 3. conf. 25. Bodin. L. 3. de Rep. c. 7. Valsq. 7. Illustr. controuv. c. 8. num. 12. Spreng. in Jpr. publ. p. 263. q. 1. Cran. de pace relig. p. 2. probl. 3.* Cætera quæ Christianis & Judæis aliisque infidelibus inter se justa sunt, commode suis locis insequentibus persequemur.

SECTIO II.

De eo quod justum est inter personas diversæ religionis, ratione Juris Civiles.

CAPUT I.

DE JURE PERSONARUM.

§. 1.

Vidimus ex jure Publico ea, quæ ratione Religionum discrepantium, justa vel injusta sunt, inter Imperantes potissimum eorumque subditos, restat, ut quid inter *privatos* hoc in passu juris sit, dispiciamus, id quod LL. Civiles, juxta materialium propinquitatem cum aliis juribus coadunitæ, supeditabunt.

§. 2.

bono bis. 2. Primum divisionis in §. f. J. de J. N. G. & C. tradi-
ta membrum, constituunt *Personæ*, de quibus in genere ear-
umque variis divisionibus in parte generali jam aliquid di-
ctum: superest ut in specie singula excutiamus. Summa per-
sonarum divisio, juri Gentium originem debens, est, quod om-
nes homines aut *Liberi* sint aut *Servi*. pr. J. de J. P. Servi-
tus autem originem traxit ex jure Gentium, bellis sc. & in iis
contingente hominum captivitate §. 4. J. d. t. unde libertatis
atque servitutis jura: Quæ licet hodie abolitâ servitute pro-
pter Christianam charitatem, quæ indignum judicabat reli-
gionis consortes pro mancipiis habere, in Republicâ nostrâ &
ipsa cessent: Hufan. de hom. propr. c. 1. n. 40. Besold. in præ-
cogn. ad ff. de J. & J. ad L. 4. q. 3. Struv. Ex. 3. tb. 20. cum et-
iam justissimo bello capti capientium servi haud fiant, sed fi-
niri bello ad suos dimitti soleant. R. J. de anno 1570. art. 44.
45. Hoc tamen tantum inter Christianos, collatos inter se,
ipsum, verum est, nec extendendum ad exterâs Gentes, veluti
Turcas & Tartaros aliosque infideles, cum quibus Christianis
nec foedus nec societas nec communis religio intercedit, utpo-
te respectu quorum vetera juris Romani circa servitutes ve-
stigia adhuc durant: cum teste quotidiana experientia, in bel-
lo hætenus cum Turcis gesto & adhuc durante, hoc duriore
remedio, ad coercendam illorum crudelitatem, qua in capti-
vos Christianos sævire solent, nostri quoque adversus eosdem
uti, necesse habuerint: ut sic in aperto sit, rigidos istos captu-
ræ effectus, pro ratione & conditione Gentium olim intro-
ductos, quoad hæc Gentes barbaras etiam moribus & tem-
poribus nostris accommodari posse. R. J. de anno 1542. §. und
wiewohl nun. verb. Tyrannische Viehische Dienstbarkeit.
vid. Schneidevv. ad §. 3. J. de J. P. n. 10. Schulz. in Syn. Inst. ad
d. t. l. 2. Hahn. ad Wesenb. tit. de capt. & postlim. reversis.
n. 2. Philipp. L. 1. Ed. 32. Stamm. de Servit. pers. L. 1. t. 1. c. 4.
num. 1.

num. 1. Lauterb. in coll. ad tit. de Stat. Hom. tb. 12. & 13. in pr.

Unde est, quòd captivi talismodi non secus ac servi Romanorum metallo vel triremibus addici, aut ad extructiones & refectiones munimentorum, aliasque operas similes adhiberi soleant. Quamvis jus vitæ necisque, quo Gentes illæ in Christianos captivos nonnunquam utuntur, isti vicissim exercere non consueverint, cum Christiana charitas & moratior nostra ætas asperitatem ejusmodi respuat, & aliæ castigationes, virgis loris aut vinculis factæ, juxta tenorem l. un. C. de emend. serv. ad coercionem illorum sufficere possint.

§. 3. Circa *Manumissionem* quoque, hac in parte aliqua juris antiqui imago residua mansit. In servitutem enim hoc modo redacti, usque adeo servilia onera sustinere necesse habent, donec vel cum aliis captivis commutentur, vel pretio liberationis (Græcis *λύτρον*, Gallis *Ranson* & Germanis inde *Ranson* dictum) soluto, redimantur, veniamque redeundi ad suos cum libertate nanciscantur. Quam in rem etiam Christianis, maximè à Turcis, literæ Salvi Conductus, libertatem exeundi & revertendi continentes, dari solent, ut si forte deficiente aliorum subsidio, nec propria pecunia se redimere possint, pretium redemptioni sufficiens ab aliis colligant, cognatis interim aut sociis illorum, tamdiu in captivitate, jure quasi pignoris, detentis, donec tempus solutioni præfinitum elapsum, & ratione lytri conventi dimittenti satisfactum fuerit; quo facto, literis dimissoriis & testimonialibus sive instrumentis manumissionis à manumittentibus datis, libertatem recipiunt, & salvi ad suos reverti possunt. Servilis ista conditio, præter alios servitutem tollendi modos, remitti etiam captivis solet, si Turcæ relicta religione, quam hæctenus professi sunt, religioni Christianorum, & hi vicissim, si illorum captivi sint, Mahumedanæ nomen dare velint. Lauterb. in coll. l. c. tb. 12.

E

§. 4.

§ 4. Subjectum activum Servitutis sunt *Domini*, unde *Potestas Dominica*, ejusdemque varii effectus, de quibus in *tit. 7. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* A potestate illâ, civibus olim Romanis in quoscunque servos competente, excludebantur ab Imp. *Honorio & Theodosio, Judæi, Pagani & alii Heretici*, quibus propter dissensum religionis, Christianum Mancipium gravissimâ sub pœnâ habere, interdictum fuit, adeo quidem, ut præter id, quod damno Mancipii, protinus libertatem nanciscentis, multentur, sententia capitali quoque plestantur. *t. t. C. ne Christ. manc. heret. l. jud. Welenb. 12. com. C. ad d. t. Jul. Pae. in Isagog. ibid.*

§ 5. Subjectum passivum Servitutis constituunt ipsi *Servi*, quos religionis diversitas Dominio Christianorum non eximit, ut hinc Christiani Judæorum & Turcarum operis uti non prohibeantur, quamvis secundum *Jus Can.* hos indistinctè, illos verò non nisi extra domus suas permittantur habere. *c. 5. & 8. ex. de Jude. vid. Ill. D. Præses in Anal. ad Dessel. L. V. t. 5. q. 3.* Sunt, qui Judæos inter Christianos degentes, cujuscunque generis sint, pro servis reputare velint, moti expresso textu *cap. etsi. 13. X. de Jud.* qui dicit: *quod propria culpa Judæos perpetue Christianorum servituti submisserit: unde & à Christianis pro sola humanitate foveri. c. Judæi 21. X. de test. & ex mera pietate, gratia ac misericordia, in consortium & familiaritatem illorum admitti dicuntur. d. c. etsi. 23. x. de Jude.* Verum hoc non de servitute ista civili, sed *subjectione quadam suppressionis*, intelligendum venit, ut rectè interpretatur *Zaf. in tom. V. q. 1. de Jude. p. 103. Paris. V. 4. conf. 2. num. 9.* Servi enim quoad effectus juris civilis pro nullis & mortuis habentur: *l. 22. l. 32. l. 209. ff. de R. J.* quod de Judæis dici nequit, qui Juris Romani sunt participes, & sub constitutione *Antonini in l. 17. ff. de Stat. Hom.* omnino continentur, uti patet ex *l. 7. §. 15. C. de Jude:* hinc & rerum dominia possidere, de bonis

nis suis testari, matrimonia contrahere, liberos in potestate habere, contractus & commercia, tam inter se quam cum Christianis, liberè exercere, solenni modo in judiciis actiones instituire, & vicissim excipere, ut & privilegiis aliis, non secus ac liberi homines frui possunt, licet, ex speciali ratione, jura hæc in multis restrictionem quandam patiantur, ut ex sequentibus patebit. vid. Besold. *in thes. pract. verb. Juden.* Reink. *de R. S. & E. L. 2. cl. 2. c. 3. n. 27. seq.* Stamm. *de servit. L. 1. p. 258. Alex. V. 3. conf. 71. & V. 5. conf. 75. Paris. V. 4. conf. 2. n. 9.* Hinc & juxta consuetudinem Germaniæ ac Stylium, Camera, pro civibus Romanis reputantur, teste Myns, *Cent. 5. obs. 6.* Marq. de Sufan. *de Jude. p. 1. cent. 1. n. 1. seqq.* Wehner. *in Obs. pract. voce Juden.* & consequenter de populo censentur, ac Statutorum civitatis commodo frui debent. Menoch, *remed. 9. recup. poss. n. 291. seq.* Reink. *l. c. n. 29. 30.* Sprenger *in Jpr. publ. p. 265.*

§. 6. Altera personarum divisio ex jure civili descendens est, quòd quædam sint *sui juris*, quædam *alieno juri subiectæ*: Et rursus harum aliæ sunt *in Potestate Dominica*, ut servi, aliæ *in Potestate Patria*, ut Filii familias. *pr. 7. de his qui sui l. alien. jur. sunt.* De potestate Dominica jam in superioribus actum: Patria potestas vero constituitur *Justis nuptiis*, *Legitimatione* & *Adoptione*.

§. 7. Primum itaque locum inter modos constituendi patriam potestatem obtinent *Juste Nuptie* seu *matrimonium legitimum*, quòd quia præcedere solent *Sponsalia*, ideo de iis, quæ huc faciunt, præmittenda erunt. Ratione istarum igitur exerit se trita illa Dd. controversia: *An permittenda sine sponsalia inter diverse religionis homines?* Ad quam quæstionem si sufficienter & verè, utique etiam distinctè, respondendum erit: Considerandum sc. ante omnia, an diversitas religionis respectu personarum contrahentium sit *totalis* an *par-*

rialis. *Sitotalis* est & ratione unius partis tanta, ut fundamento fidei & salutis haud innitatur, qualis Christianis cum Judæis, Turcis, Saracenis aliisque infidelibus intercedit, utique sepositis etiam LL. humanis positivis improbanda, & parti fideli serio dissuadenda erunt talismodi sponsalia. Vid. Hahn, ad Wesenb. p. 2. tit. de R. N. n. 8. Bechm. in comment. ad A.B. Ex. 5. n. 26. idque propter varia incommoda & miserabiles exitus, quos cohabitatio personarum, in fide dissidentium, ut plurimum producere solet. Nam (1) Maximum periculum, quod exinde metuendum, est, quod foemina infidelis blanditiis suis, procos ambientes aut postea maritos factos, impetu amoris quandoque profus excæcatis, facillè possit abstrahere à vero Dei cultu, & allicere ad Idololatriam amplectendam. Exempla non desunt, quibus ex ipsis etiam sacris id probari possit. Sic *Salomo* Rex omnium sapientissimus, illecebris Ethnicarum foeminarum deceptus, idola extruere & Deos colere alienos cœpit 3. Reg. 11. v. 4. seqq. *Achab* pariter *Jezabelis* conjugis suæ pessimis consiliis & impietate inductus, templa cultui idolorum consecravit 3. Reg. 16. v. 31. seqq. nec cessavit prius Divinum Numen malitia sua lacerare, quam justissimam ejusdem vindictam & interitum sui ipsius acceleraverit. Simili modo *Joram* Judæorum Rex, ductâ in uxorem *Atbaliâ*, Achabi filiâ, ad idololatriam prolapsus fuit. 4. Reg. 8. v. 18. & 2. Paral. 21. v. 6; (2) Fieri potest, ut si mulier persuasionibus mariti, quibus forte ad amplectendam religionem suam eandem flectere laborat, obtemperare nolit, inter ipsos discordiæ, ex discordiis disfidia, & ex his majora mala oriantur. (3) Impedit tale matrimonium, quo minus commoda educatio sobolis in eodem obtineri possit. Dum enim quilibet conjugum natos ex sese suæ religioni accommodare studet, fieri solet, ut non modo ob infirmitatem judicii, quæ teneram ætatem concomitatur, in diversas partes distra-

distracti, facile ad sectam aliquam erroneam prolabi possint, sed & inter ipsos conjuges, dum neuter alteri cedit, pax & tranquillitas constare haud queat. vid. Carpz. *Jpr. consf. L. 2. d. 6. n. 15.* Bidenb. *in probl. connub. item. 64.* Hæc tot & tanta incommoda in causa fuerunt, quod Deus olim Populum Israeliticum, non modo à conjugio, sed etiam consortio plane Gentilium, remotum esse voluerit, ideoque tot Gentes exterminaverit. *Lev. 18. v. 24. seqq.* neve cum eis, quas forte ad coercionem populi Israelitici reservaverat, fœdus ullum, adeoque nec societatem conjugalem inirent, severissimis prohibitionibus interdixerit, uti videre est *Exod. 23. v. 33. & Exod. 34. v. 12. 15. 16. Deutr. 7. v. 3. 3. Reg. 11. v. 1. seqq. Jos. 23. v. 12. 13.* Et sane quàm periculosa fuerint conjugia, contra istam prohibitionem contracta, tragici casus & pœnæ declarant, quas Israelitæ, postquam exteras fœminas sibi junxissent, experiri cogebantur, uti liquet ex *Lib. Judic. c. 3. v. 5. seqq. it. Esrac 9. & 10. per tot.* Prohibitionibus istis adstipulati etiam sunt Legislatores civiles, quod patet ex rescripto Imp. *Valentiniani, Theodosii & Arcadii*, in quo sancitur, ne quis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judæa Christianus conjugum sortiatur, si quis vero aliquid hujusmodi admiserit, adulterii commissi vicem illud obtineat, adeo ut libertas accusandi cuivis competat. *l. 6. C. de juda.* Hoc tamen resp. Judæorum speciale quid fuisse, quoad alios infideles vero diversitatem religionis nuptias haud impedivisse ex *l. 16. C. de Episc. aud. & l. 5. S. pen. C. de spons.* ut & aliis rationibus evincere vult Bachov. *ad Tr. V. 2. d. 6. rb. 1. l. c. 2. 2.* De jure Canonico minus dubium est, ut quod matrimonium ejusmodi expressè interdicit. *can. juda. 10. can. cave. 15. 11. non oportet. 16. caus. 28. q. 1.* id quod etiam Conciliorum Decretis innuunt, relata à Gerharo *in loc. de conjug. §. 388. p. 574.* Ex his itaque fatis apparet, quod abstinendum omnino ab ejusmo-

di matrimonii & tutissimum atque consultissimum sit, ut
matrimonio jungatur tales personæ, quæ in vera veræ religio-
nis cognitione consentiunt. Spes enim conversionis, quam
contra sentientes prætendunt, incerta est ac inanis, sæpe
sæpius temeraria decipula. Jam regula conscientio ju-
bet eligere certum pro incerto; interdictum vero divinum
certum est, conversio sperata incerta. Vid. Gerh. *in loc. de*
conjug. p. 570. & 573. Dannh. *in theol. consc. tom. 1. p. 2. dial. 3.*
q. 20. p. 692. Beust. *de matrim. p. 2. c. 37.* Quæ alias in con-
trarium facere videntur solvit Wissenb. *p. 1. ad ff. disp. 44. ab. 9.*
Ungep. *Ex. 3. q. 7. in casu.*

§. 8. Aliud dicendum erit, si disparitas religionis non
sit totalis, sed *Partialis* saltem, ita ut in quibusdam duntaxat
religionis partibus sit dissensio, quamvis fundamentum fidei
ac salutis concernat. Distingvendum igitur est cum Carpz.
L. 2. Jpr. consil. d. 6. n. 18. seqq. inter *Infideles proprie sic dictos*
& *Hæreticos.* Illi sunt, qui extra Ecclesiam degunt, totaque
religione à Christianis dissentiunt, uti sunt Turcæ, Judæi, Pa-
gani, ad quos §. *preced.* pertinet. Hi dicuntur qui per bap-
tismum quidem Ecclesiæ gremio inserti, sed tamen ad pravum
quoddam dogma prolapsi sunt. Ab his iterum discernendi
Hæreticos credentes seu Seducti, qui ob infirmitatem judiciæ
circumventi, docentibus falsa tantum assentiuntur, it. *Schi-*
smatici, qui fundamentum doctrinæ retinentes unitatem Ec-
clesiæ deserunt, de quibus latè Ill. D. Præses *in Anal. ad Dessel.*
L. 5. t. 8. q. 2. add. Meiss. P. S. p. 1. S. 2. c. 3. q. 4. Reink. *de R. S.*
& E. L. 3. clas. 1. c. 5. VVesenb. *ad t. C. de Hæret. n. 1. 2.* Quam-
vis itaque cum Infidelibus & Hæreticis, qui errores, Christia-
næ doctrinæ apertè & directe adversos, magno cum Ecclesiæ
scandalo pertinaciter propugnant, neutiquam concedenda
sint Sponsalia, attamen ad Seductos ut & Schismaticos exten-
dendum hoc non videretur, quibus omnino permittendum, ut
tali-

talibus personis matrimonio jungantur, quæ in fundamento orthodoxæ fidei firmioribus innituntur pedibus, cum hoc modo spes non omninò vana de futura conversione affulgeat. Carpz. *l. c. n. 20. seq.*

§. 9. Hisce præsuppositis, facillè apparet, quid dicendum sit de matrimonio, inter personas *Catholica, Lutherana, & Calviniana* religionis, contrahendo: sc. illud simpliciter prohibitum non esse. (1) Quia religiones hæc in Imperio ita exæquatæ sunt, ut singulæ à quovis liberè exerceri possint; vid. *l. P. art. 5. §. 1. & art. 2.* ideoque utriusque religionis socii, in vera amicitia & Christiana charitate, pacifice & comiter invicem cohabitare jubeantur. *d. art. 5. §. 11. inf.* (2) Quia dissensus harum religionum omnes fidei articulos non tangit, & hinc spes omnis præclusa non videatur, quo minus persona Heterodoxæ religionis, per personam Orthodoxæ fidei, converti possit. Carpz. *l. c. n. 23. 24.* Illustr. D. Præs. in *Anal. ad Dess. L. 4. r. 19. q. 6.* Nihilominus tamen, quia matrimonia ejusmodi laqueos conscientiarum solent injicere, communiter à Theologis Orthodoxis, in terris Protestantium, dissuadentur. vid. Gerh. in *Loc. de conjug. §. 388. p. 573.* Dedeken. *Vol. 3. conf. 10. n. 3.* ubi præjudicium facultatis Theologicæ Rostochiensis affert. Quamobrem si tales personæ tanto affectu sese invicem fuerint complexæ, ut distrahi amplius, sine magna difficultate & conscientiarum morsu, haud possint, ad hæc potissimum cautelas respiciendū esse volunt, ut sc. (I) ratio habeatur *Personarum contrahentium*, & quidem (1) *Personæ Orthodoxæ* (maximè si imbecillis foemina sit) quæ heterodoxæ jungi desiderat, an in vera fide adeo fundata sit, ut persuasionibus ad falsam doctrinam ducentibus valide resistere possit, nec facillè seduci se patiat. (2) *Heterodoxæ*, utrum sc. spes conversionis ejus supersit, nec periculum seductionis facillè parti fidei metuendum sit. (II) Ut conveniatur, de liberis procrea-

tis

tis in vera religione educandis, præstita desuper cautione. Talis conventio de Jure Civili opus non erat, quo altero Conjugum Orthodoxo, altero Hæretico existente, liberi quosque in Orthodoxa fide educari debebant. l. 18. §. 1. C. de Hæret. Hisce probe observatis, haud prohibendum esse matrimonium, in casu verò contrario neutiquàm permittendum dicit Carpz. l. c. n. 27. 28. ubi id ipsum per responsum supremi Consistorii Dresdensis confirmat n. 30. Add. D. Becm. in med. polit. c. 7. §. 14. n. IV.

§. 10. Ex ultimo hoc requisito propullulat ista quæstio: *An contrahentes ejusmodi salva conscientia possint pacisci de educatione Liberorum vel ita instituendâ, ut omnes ex subsequente matrimonio procreati religioni alterius saltem imbuantur, vel ita ut masculi mariti, filia verò matris religionem sequantur?* Certe quamvis per Germaniam nostram quotidie hoc evenire videamus, illud tamen licitè haud fieri, probatur, non quidem ex hypothesi Pontificum & Pontificiorum quorundam, qui omnia pacta Catholicorum, cum diversæ religionis hominibus inrita esse, neque fidem hæreticis (per quos Lutheranos maximè intelligunt) datam servandam, contendunt, inter quos est *Gregorius VII. c. 4. caus. 15. q. 6. Gregorius IX. cap. ult. x. de hæret. add. Conr. Brunus l. 3. de Hæret. c. 15. & alii quos magno numero recenset & refutat Meissn. P. S. p. 3. s. 1. c. 7. q. 2. per tot. add. VVissenb. p. 1. ad ff. D. 9. th. 9. sed ex veriori sententia Theologorum nostræ Ecclesiæ, in Sacro Codice fundata, supponentium, quod *omnis educatio fieri debeat in disciplina & admonitione Domini. Eph. 6. v. 4.* Licet enim tota educatio Orthodoxo conjugii committatur, periculosa tamen est, ob casum mortis præventaneæ, ante solidam educationem metuendum; quo contingente, Liberi superstitis parentis disciplinâ sub falsâ boni specie, depravati, Hæreticorum cassibus facile se implicabunt. Sin sola Heterodoxo, vul-*

vulnera conscientiaë nunquam non sentiet hæc talia permit-
tens pars Orthodoxa, toties vivacia, quoties intuebitur natos,
quos sua culpa periculo salutis subjectos iri, persuasum habet.
Nec immunis erit à conscientiaë morsibus, qui alteram partem
liberorum suæ religioni imbuendam pacto sibi reservavit, al-
teram verò erroneis dogmatibus corrumpi permittit, de qui-
bus acriter Serarius in *miscel. p. 74.* ita differit: *Non dissimiles
isti videntur istis Gentilibus, qui filiorum suorum aliquos Idolis
& Damonibus mancipabant. Neque ab ea muliere abesse viden-
tur, quæ apud Salomonem alteri dicebat: Nec mihi nec tibi, sed
dividatur: imo hujus quodammodo crudelitatem superant. Isti
fructum proprium, prolem propriam dividunt, & unam quidem
partem Christo in vera ipsius Ecclesia & fide, alteram mendacio-
rum omnium patri extra eandem tribuunt.* Add. Dannhauer.
rom. 1. Theol. confc. p. 2. dial. 3. S. 2. g. 20. Id ipsum etiam *jurè
Naturali & Civili* convenit, quia pacta talismodi contra bo-
nos mores sunt, & gravissimè lædunt conscientiam ejus, qui
levitate quadam animi ductus, neglecto eo educationis mo-
do, quem ceu optimum in se ipso hæcenus probavit, eum po-
tius eligit, quem velut erroneum toto pectore aversatus est,
hæc autem talia ne quidem nos facere posse credendum est.
l. 15. de condit. inst. Add. Illustr. Dn. Præses in *Anal. ad Dessel.
L. 4. t. 19. g. 6.*

§. II. *Quid verò si nihil ab initio conventum, postea verò
inter Maritum & Uxorem dissensus oriatur ratione educatio-
nis liberorum, quos qualibet pars, alterà semper rennente, suæ
religioni innutrire laborat, cujusnam sententiam præferre aut
cui parentum liberos adharere fas erit? Licet, secundum jus
civile, inæqualis sit patri & matri in liberos competens pote-
stas, jure naturæ tamen per generationem æquale utrique pa-
rentum jus acquiritur: Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 5. §. 1. ideoque*

æqualis etiam utrique illorum ab iisdem debebitur pietas *l. 4. l. 9. C. de Curat. fur. l. pen. ff. de obseq. par. & patr. prest. obsequium l. 28. C. de inoff. testam. l. 2. ff. de J. & J. & reverentia l. 6. ff. de injus voc.* Interim tamen quibusdam casibus patri, ceu Duci & capiti totius familiae, jus quoddam præstantius & excellentius competere, nec Juri Naturæ inconveniens est. Hinc & patri prærogativa aliqua, ob sexus præstantiam, præ matre tribuenda, eo forte casu, si cum matre in præcipiendo discrepet, ut nimirum tunc liberi Imperio patris potius quam matris obtemperare, necesse habeant, *Grot. l. c. ibique annot.* ut adeo, præsentī in casu, patri obediendum potius quam matri videatur. Sed ista obedientia aliter præstanda non est, quam in mandatis res honestas & per se faciendas, aut saltem indifferentes concernentibus. In iis enim, quæ Leges, Magistratum, Deum offendunt, & generaliter contra bonos mores sunt, obsequium patri non debetur, sed præferendum potius mandatum matris, si honestatem & pietatem sapiat. *D. Müller. in Jpr. Elem. disp. 7. tit. 8. lit. 1.* Itaq; non minus piè quàm sapienter statutum, quod parentibus diversa fidei & religionis existentibus, & quoad religionem liberis intimandam dissentientibus, illius sententia prævaleat, qui ad Orthodoxam, illos elegerit perducere fidem, non obstante, quod hæc matris saltem voluntas sit, pater verò contradicat. Nec enim facultas erit patri, hanc ob causam quotidianis alimentis aliisque necessariis impensis liberos privare, sed nihilominus onus sustentationis illorum sustinere cogitur, uti expressis verbis hoc disponit *l. 12. §. 1. C. de heret. l. 18. §. 1. eod.*

§. 12. Hactenus de Sponsalibus imperfectis & matrimonio contrahendo actum fuit, nunc quoque de Sponsalibus contractis & matrimonio jam consummato disquisitio erit instituenda. Quoad Sponsalia igitur jam contracta de jure Civili negandum non est, ob diversitatem religionis Repudium fuisse

fuisse licitum, uti haud obscure colligitur ex *l. 16. C. de Ep. ab. & l. 5. C. de Spons.* sub hac tamen distinctione, ut si quidem probatum fuerit, sponsum vel sponsam, ante datas aut acceptas arrhas sponsalicias, hoc scivisse, sibi imputent, quod semel consenserint: Si verò horum ignari sponsalicias arrhas susceperint, re verò comperta poenitere coeperint, arrhis duplicatis redditis, dissolutionem impetrare possint. *Moribus nostris* autè quàmvis matrimonia talismodi ab initio facile concedenda non sint, attamen si res non amplius est integra, & sponsalia jam sint celebrata, firma eadem habentur, nec temerè dissolvenda sunt; Gerhard. *in Loc. de conjug. S. 392. p. 584.* Beust. *de matr. p. 2. c. 37.* non obstantè regulà illà, qua actus irritari dicitur, si in eum statum deducatur, à quo incipere non potest: Ista enim multis casibus, & iis utique fallax est & fallax, quibus quod supervenit substantiam rei & actus non afficit. Bachov. *ad Tr. P. 2. D. 6. th. 1. lib. c. ad verba: Dissent. Covarr.* Hinc est quod propter Adulterium, quod levius delictum videri posset *amissa*, matrimonium annullerit, quia se. hoc repugnat matrimonii naturæ, cum adulter simul & maritus nemo esse possit; quod non facit impietas, quæ qualitas animi est, nec officit, quo minus quis esse possit maritus. Wissenb. *p. 1. D. 44. th. 9.* Quid quod sæpe numero, quæ fieri non debent, si facta fuerint, non rescindantur. *l. 3. §. 1. ff. de R. J. l. 1. §. 5. ff. quand. appell. sit & intra que temp.* & quæ impediunt matrimonium contrahendum, jam contractum non dissolvunt; *l. 8. in med. ff. de bis qui sui l. alien. jur. sunt c. quemadmodum 25. vers. alioquin. inf. X. de Jurej.* ut exemplum est in matrimonio ab initio metu contracto, postea verò cohabitatione consummato. Reink. *de R. S. & E. L. 1. clas. 1. c. 5. n. 24. 25.* Et hoc verum est, quàmvis sponsalia concubitu aut benedictione sacerdotali nondum consummata fuerint, nec enim concubitus aut benedictio sacerdotalis, sed consensus facit nuptias.

ptias. l. 30. ff. de R. J. vid. Hahn. ad Wesenb. p. 2. ad tit. de R. N. n. 5. ubi responsum Facultatis Helmstadiensis refert. Rationes dubitandi & decidendi vide apud Carpz. in 3pr. consist. L. 2. d. 7. Bachov. l. c. ad verba: Non Christianos.

§. 13. Multo minus itaque matrimonium tale, copulâ carnali jam plenè & perfectè consummatum, erit rescindendum, quia longe difficilius fit divortium, hoc est, ipsius matrimonii cessatio, quam repudium, quod est disruptio sponsaliorum: arg. c. 25. vers. alioquin. x. de jurej. vid. Harpr. ad rubr. J. de Nupt. n. 139. idque propter expressam sanctionem Juris Divini. Matth. 19. v. 6. & 9. 1. Corinth. 7. v. 12. 13. vid. Meisn. P. S. p. 1. S. 2. c. 3. §. 2. Covarruv. p. 2. c. 7. §. 11. num. 2. Idem ex Jure Civili arg. l. 16. in pr. C. de Ep. aud. & l. 5. C. de Spons. & Canonico arg. cap. decrevit. 14. de haret. in 6. inferendum videtur, licet Canonistæ communiter contrarium asserant, propter cap. jam nunc. & seqq. c. 28. q. 1. ubi male Augustinus infert ex verbis Pauli 1. Cor. 7. v. 12. Fidei licere dimittere infidelem, propter illa verba: Reliquis ego dico, non Dominus: Non enim reclamât Apostolus iis, quæ dicit Dominus, sed ea, quæ specialiter & diserte à Domino expressa non erant, ab iis distinguere volebat, quæ per ipsum Dominus significabat, ut ostenderet, se tanquam Apostolum Spiritu Sancto illustratum, dicere voluisse id, quod pietati maximè conveniat, licet expressum Domini mandatum de eo non extet; uti hoc eleganter explicat Wissenb. d. th. 9. Ungep. Ex. 3. q. 7. in nego. Urgent & illud quod Esdras & Nehemias, conjugia jam pridem consummata, quin etiam procreationibus liberorum corroborata, dissolverint. Nebem. 13. Esdras 9. 10. Resp. enim, hoc Judæos fecisse, non tam ex præcepto, quàm spontanea libertate, in honorem legis divinæ, quam transgressi fuerant. Illud autè præceptum judiciale, ob peculiare causas Judæis datum, Christianos in Novo Testamento amplius haud obligat, uti late

late probat Gerhard. *l. c. §. 605. seqq.* Carpz. *l. c. n. 15. seqq.* & def. 206. n. 18. *seqq.* Quæ aliàs in contrarium afferre solent, refutat Ungep. *l. c. Bachov. ad Tr. V. 2. D. 6. lit. e. ad verba. Diff. Covarr.*

§. 14. Est hinc, quod, licet consuetudine aliqua introductum sit, ne, sine permisso Magistratus, conjugium inter diversæ religionis homines contrahatur aut contractum dissolvatur, ea tamen tanquam irrationabilis, utpote præcepto divino, bono publico & privato, nec non honestati derogans, imo & ipsis Recessibus Imperii, *de anno 1555. §. und soll alles. it. de anno 1648. art. 17. §. wider diese: expresse contraria, attendenda* haud sit. Carpz. *L. 2. Jpr. Conf. def. 8.*

§. 15. Sed quid dicendum, si *Fidelitas* vel *Infidelitas* sit *superveniens*, quando sc. post matrimonium contractum, vel alter conjugum ab erroneo dogmate, quod hactenus commune habuerunt, ad fidem convertatur, altero in infidelitate perseverante; vel vicissim alter à vera religione ad falsam desciscat, altero itidem fideli manente, an hoc erit causa sufficiens divortii? Ita quidem Pontificii autumant, præter *textus supra all.* quibus ibid. satisfactum, hic præcipue urgentes dictum *Pauli. ad Cor. 7. v. 15. Si infidelis discedit, discedat. qs.* in his verbis causa faciendi divortii statuatur Infidelitas, ita, ut pars fidelis infidelem, licet cohabitare volentem, repudiarè possit. Verum mens Apostoli hæc non est, qui consulere saltem voluit parti innocenti, quando infidelis discedit, & conjugale vinculum per *desertionem* suam nefariè dirumpit, quod videlicet tali casu nequiquàm teneatur, à matrimonio in perpetuum abstinere, sed post tempus lege definitum possit nubere alii, etiam infideli adhuc vivente, uti hoc rectè ita explicatur in *c. si. infidelis 2. c. 28. q. 2. add. Gerh. l. c. §. 666. Schneidew. ad tit. 7. de Nupt. p. 4. n. 43. Licet igitur infidelitas alterutrius Conjugis per se sufficiens haud sit ad dissolvendum.*

mattimonium; tamen hoc casu, si infidelis cum fideli cohabitare nolit, sed malitiosè discedat, parti innocenti succurrendum erit, non secus ac aliàs in causis malitiosæ desertionis. vid. Carpz. L. 2. *Jpr. conf. d. 106. n. 21. 22.* Beust. *de jure connub. p. 2. tit. 26. vers. nos vero.*

§. 16. Quia matrimonium raro sine Dote constitui solet, operæ pretium erit, etiã de hoc jure aliquid annexere. Et cum pater regulariter filiam suam pro modo facultatum dotare teneatur, in odium Heterodoxorum specialiter sancitum est, ut filie Hæreticæ ab hoc beneficio excludantur, & parentes earum Orthodoxi ne quidem volentes ad præstationem ejus admittantur, per l. 19. *pr. C. de Hæret. & Nov. tit. c. 3. §. 14.* vid. Bachov. *ad Tr. Vol. 2. d. 7. th. 2.* Illud quoque expeditum est, quod pater Hæreticus, non tantum pro filiabus & neptibus dotem dare, sed & pro filiis ac nepotibus Donationes propter nuptias constituere teneatur, cum alias iniquum foret, liberos propter divini amoris electionem, paternâ vel maternâ provisione defraudari. l. 13. *pr. l. 19. §. 1. C. de Hæret.* Imo nec ipsa mater, ab onere dotandi, à quo regulariter immunis est, per l. 14. *C. de Jur. dot.* hoc casu liberatur. *arg. d. l. 19.* Quam ob causam etiã Tribonianum verba illa (*vel lege specialiter expressa*) d. l. 14. inseruisse Dd. communiter arbitrantur. vid. Wissenb. p. 1. *ad ff. D. 46. th. 11.* Treutl. *Vol. 2. D. 7. th. 3. l. b.* Quàmvis hoc, quod de matre Hæreticâ dicitur, minus rectè se habere, & de matre Judæa intellectum esse velit Bachov. *ad Tr. l. c. p. m. 326.* Et hæc de causis matrimonialibus dixisse sufficiat.

§. 17. Alter modus constituendi patriam potestatem est Legitimatío. Quæ igitur an liberi, ex concubitu illegitimo cum diversæ religionis femina procreati, possint legitimari? Quod affirmandum, sive Legitimatío fiat per Subsequens matrimonium, sive per Rescriptum Principis. Priori enim modo, cum

cum nuptiæ eum medium constituendi subsistant, actus etiam legitimationis, qui per eas perficitur, erit validus, liberosque ante matrimonium consummatum editos, patriæ potestati subijciet. *Posteriori modo*, si ex speciali gratiâ legitimationis talismodi natis indulta fuerit, juribus & privilegiis, aliis legitimationis natis competentibus, ipsi quoque gaudebunt. Legitimationis modus, qui fit *per Oblationem Curia*, cum à foro nostro recesserit, ideo nec hac in parte ulli ejusdem effectus supersunt.

§. 18. Legitimationem excipit *Adoptio*, circa quam quaeritur: *An possit adoptari is qui cum adoptante diversa religionis est? Distinguendum hic erit, inter diversitatem totalem & partialem*, ut nimirum inter personas, totaliter in religione dissentientes, nec Arrogatio nec *Adoptio plena* seu *perfecta* procedat, licet *minus plena*, cæteris paribus, admitti possit. *Prioribus* enim modis patriæ potestas in Adoptantem transfertur, cujus effectus in quodvis subjectum non cadunt. *Posterior* verò, quia neque familiam neque patriam potestatem neque aliud jus in adoptantem, in adoptatum verò jus successionis transfert, prohibenda esse non videtur. Hinc *Judei Christianorum* liberos *plene* adoptare aut arrogare non possunt, licet enim communi Romanorum jure vivant per *l. 8. C. de Jude*: ideoque etiam in proprios liberos jure Patriæ potestatis gaudeant, hoc tamen resp. Christianorum ad materias proportionabiles restringendum est, nam quatenus fidei diversitas aut conditio Judæorum, ob rationabilem quandam causam, applicationem Legum Romanorum respuere videtur, eatenus etiam sub legibus Romanis non comprehenduntur. *Crul. de indic. p. 1. c. 52. num. 4.* Adoptare tamen *minus plene* Christianorum liberos non prohibentur, modo educatio illorum aliis committatur, ob periculum seductionis, quod metuendum, si cum iis in eadem domo viverent. *cap. ad hęc. 8. x.*
de

de juda: Quoad personas, in quibusdam saltem fidei articulis disjunctas, dubium non est, quin propter exæquatas hodie, quoad effectus juris, in Imperio religiones, quovis modo jure non improbato adoptio permessa sit. Quàmvis consultius sit, ut ab hoc modo constituendi patriam potestatem, ceu periculoso prorsus & suspecto abstineant, qui ejusdem religionis non sunt, cum disparitas fidei arctiori hoc vinculo corpora animosque coaduniri vix permittat.

§. 19. Pro commodis, quæ ex patria potestate ad parentes redundant, sustinere quoque debent incommoda, quale quid est *Alimentatio Liberorum*, à quâ nec *Hæretici parentes*, licet jure patriæ potestatis non gaudeant, sunt immunes, cum nihilominus liberos sinceræ fidei addictos, secundum vires patrimonii, alere, omniaque eis subministrare teneantur, quæ ad quotidianæ vitæ sustentationem necessaria sunt; econtrariò verò liberi hæreticæ pravitati mancipati, ab omni parentum beneficio repelluntur. *l. 19. §. 1. C. de Hæret.* Aliud juris est in liberis ratione alimentacionis parentum: isti enim non modo si Heterodoxi, parentibus veram fidem profitentibus, sed & si Orthodoxi, Hæreticis parentibus, alimenta præstare debent, *arg. c. 103. c. 11. q. 3.* quia pater licet contemtor legum & impius sit, tamen pater est. *Nov. 12. c. 2. arb. incestas. C. de incest. & inut. nupt. c. 5. x. de eo qui dux. in matrim. quam per adult. pol.*

§. 20. Curas parentum in Liberos non modo circa sustentationem corporum, sed & salutem animarum occupatas esse oportet. Harum omnium primam esse convenit, ut liberi recenter editi sacramento *Baptismi* initiarentur, cui actui cum certæ personæ interesse soleant, quæ infantes ex sacro isthoc fonte suscipiant, defunctisque parentibus ad educacionem illorum se obligent, non immerito dubium oritur: *an roganda vel admittenda ad eundem ea quoque sint, quæ ob di-*
ver-

veritatem fidei pro membris verae Ecclesie haberi non possunt?
Sane uti piè & sapienter officioque boni parentis dignum opus faciunt, qui non nisi eos adhibent Patrinos, quorum pietatem, probitatem & orthodoxiam fidei maximè cognitam habent, ita à pietate paternà longe recedunt, qui eos seligunt, quos fidei diversitas incapaces facit præstandi id, quod muneris hujus sanctitas exigit. Nam (1) Patrini infantes baptizandos ministro Dei offerunt ac precibus suis Deo commendant. *Matth. 19. v. 13.* (2) Fidejussores infantum apud Deum existunt, confessionemque illorum nomine edunt. (3) Obligant se, ad instituendum infantes in pietate & doctrina orthodoxa fidei. *c. 115. dist. 4. vid. Carpz. Jpr. conf. L. 2. d. 271. num. 1. 2. 3.* Hæc omnia à personis istiusmodi expectari vix possunt, neque enim preces ejus, qui ipse Deo acceptus haud esse videtur, in gratiam alterius factæ, id, quod deberent, operari poterunt: neque etiam cautionem idoneam præstare, seque pro aliis interponere possunt, qui ipsi sunt suspectæ fidei: multò minus confessionem sinceræ religionis infantum nomine edere valebunt; imo, quod præcipuum est, neque exemplo suo iisdem præluere, aut genuina præcepta, ad veritatem cœlestem ducentia, suppeditare poterunt: istam enim & ipsi nunquam verè cognoverunt, aut licet cognoscere potuerint, semper tamen opprimere magis quam promovere laborarunt. Igitur aut plane educationem & institutionem illorum negligent, aut si suscipiant, maximo cum animæ & salutis periculo erit conjuncta, quippe quòd lubrico ætatis decepti tenerorum animi ea, quæ ante oculos posita vident, sectaturi sint. Et hæc rationes non sunt restringendæ ad eos tantum, qui penitus ab Ecclesia vera recedunt, & ne ipsi quidem baptizati sunt: quales à patrinorum officio expresse arcentur *in c. 102. dist. 4.* Sed etiam ad eos, qui modò in articulis quibusdam ab orthodoxiâ fidei aberrant, ut sunt *Catholici & Calviniani*, quadrant:

G

Quam

Quamvis hi, si de facto à parentibus rogati, in templo ad perficiendum actum baptismi comparuerint, à Ministris Ecclesiæ repellendi haud sint, quia hoc non sine insigni offensione & obdurate cordis eorum, de quorum conversione alias spes esse poterat, contingeret. vid. Balduin. *de cas. consc. l. 2. c. 11. cas. 9.* ubi cautelas ministris Ecclesiæ tali casu observandas suppeditat.

§. 21. Inter contraria patriæ potestatis referendus non est *Transitus ab una religione ad aliam*, sic quamvis deficiat quis à religione orthodoxa & transeat ad aliam, aut vice versa, si filius v. gr. Judæi relicto Judaismo convertatur ad Christianismum, nihilominus tamen remanebit in potestate patris, quia hic modò nuspia Jure Civili refertur inter modos solvendi patriam potestatem, in casibus autem non exceptis regulæ ad hærendum, quæ præter modos Legibus expressos omnes alios excludit. Stamm. *de servit. person. l. 1. p. 235. Jure Canonico* tamen Judæi conversi ex constitutione Pauli III. potestati patriæ quoad onera eximuntur. Illustr. Dn. Præses in *Anal. ad jus Can. l. 5. t. 6. q. 2. in fin.*

§. 22. Consideratis personis alterius juri subjectis, dicendum nunc venit de personis *qua sui juris sunt*, quarum quædam *sub tutela vel curatela sunt*, quædam *neutro jure tenentur. pr. 7. de tut.* Subjectum tutelæ activum constituunt *Tutores*, passivum verò *Pupilli*. Possunt autem Tutoris officio fungi generaliter omnes, qui nec impediuntur nec prohibentur. In numerum illorum, qui jure civili prohibentur, referendi non sunt *Judæi*, ad hoc sc. ut Christianorum Tutores esse nequeant, propter expressam *l. 15. §. 6. ff. de excus.* (ibi: *non judæorum*: ubi particula negativa non est terminus negans, sed infinitans) & *arg. l. 3. §. 3. ff. de Decur.* ubi vide *Geibfr. in not. lit. r.* Idque verum est, in tutela tam *Testamentaria* quam *Dativa* (*Legitima* enim, quæ ex agnatione potissimum

mùm proficiscitur, inter has personas non datur, quia Christianis cum Judæis nulla agnatio intercedit, nisi fortè resp. agnatorum, à Judaismo ad Christianam fidem transeuntium, contingat:) non enim hoc in passu ipsis favendum, ut liberentur ab onere, administratione sc. tutelæ, à quâ nec Christiani sunt immunes, & sic melioris conditionis habeantur quàm isti, Educatio tamen pupillorum Judæis committenda non est, verendum etenim, ne pupilli superstitione (uti vocatur *l. 3. §. 3. ff. de decur. & l. 21. C. eod.*) aut ferali secta (uti ab Imperatore Constantino denominatur in *l. 3. C. de judæis*) illorum inficiantur, & participatione quotidiana subvertantur. *can. sape malorum. 12. & can. nullus. 13. caus. 28. q. 1. cap. ad hac. 8. x. de judæis*: De cætero nihil obstat, quo minus, educatione licet alteri demandata, Tutor Judæus alimenta & alia ad sustentationem pupilli necessaria subministrare, unâque rationes gestæ administrationis reddere possit, cum & aliis in casibus penes alium administratio, & apud alium educatio, esse soleat *l. 1. l. 3. ff. ubi pupill. educ. l. morar. vel f. C. eod. v. Ludvv. Ex. 3. tb. 6. l. 2. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. disp. 8. tb. 4. l. c. Wehn. observ. pract. voce Juden*. Quod multò magis procedit, si Contutor iis adjungatur, qui defensionem pupilli in judicio suscipere possit. *Treutl. l. c. Neque assentimur Niell. D. 5. tb. 8. Laurerb. in comp. Jur. tit. de tut. p. 460. n. 4. Finckelth. obs. 84. n. 7. 37. 38. Stamm. de serv. pers. L. 1. t. 5. c. 1. n. 18. Jure Novellarum & Canonico hoc mutatum esse, asserentibus, id quod concludunt ex *Nov. 72. cap. fin.* Etenim quod ibi dicitur, de modo jurandi Tutoribus præscripto, ad Christianos pertinet, cum Judæis peculiaris forma & solennitates jurandi præscriptæ sint. *vid. Ord. Cam. p. 1. t. 86.* Neque de jure Canonico correctum hoc reperitur, quàmvis nonnulli id asserant, moti forte textibus supra all. *ut can. sape malorum. 12. can. nullus. 13. caus. 28. q. 1. ubi consortia Christianis cum Judæis expresse interdiciuntur.**

Hoc enim præfenti in casu, uti jam dictum, ad educationem pupillorum restringendum, quæ officium Tutoris, in reliquis circa personam & res pupilli occupatum, non excludit. Add. Paris. ad rubr. ff. de nov. oper. nunc. à n. 23. usque ad num. 33. Andler. L. 2. Jpr. tit. 5. n. 45. Hodie tamen neque testamentariam neque legitimam tutelam facillè ipsis concedi, & in dativa à magistratibus Christianos præferri, annotat Schilt. Ex. ad ff. 37. §. 21.

CAPUT II. DE JURE RERUM.

§. 1.

Absolute Jure Personarum aggredimur *Jus Rerum*, quod est facultas moralis circa res aliquid agendi. Et est duplex, jus sc. *in re & ad rem*, uti evincunt *textus all.* à Struv. Ex. 3. 16. 87 Eck. ad t. de R. D. §. 2. *Illud* definitur, quod sit facultas jure, cõpetens quæ ipsi rei inhæret, adeoque actionem, ipsam rem persequentè, producit. Ex quâ definitione apparet, jus hoc immediatè in rebus ipsis fundari, easque intrinsecus afficere, personas autem, quibus res compètunt, non nisi mediatè concernere: quæ & ratio, quòd obligationes ex jure in re ad istas non pertineant, adeoque nec actiones ex personarum obligatione, sed ex jure, ipsarum rerum substantiis inhærente, resultent. Quibus ita stantibus, nobis, quibus hac in dissertatio- ne personarum potior respectus habetur, brevis saltem circa jus in re tractatio erit instituenda, cum Leges circa res potissimum occupatæ, hoc in passu differentiam, inter personas ratione religionis differentes, nullam ferè induxerint, ideoque deficiente speciali illarum decisione, juris communis dispositio attendenda erit, nisi circumstantiæ concurrentes, aut manifesta diversitatis ratio, per consequentiam, ex legibus, de re simili disponentibus, deducenda, contrarium suadeat.

§. 2.

§. 2. Antequam verò ad ipsas juris in re species progre-
 diamur, occasione rerum religiosarum notari meretur, quod
 ratione sepulturæ Hereticorū in diversas partes eant jus Civile &
 Canonicum, illud enim humanum & pium arbitratur, hæreticos
 legitimo modo ut cæteros sepeliri, rescribente Imp. *Mariano*
in l. 9. C. de Heret. & auth. Heretici. ibid. Hoc contra eosdem
 sepulturæ beneficio inter Christianos planè indignos judicat.
c. 8. §. si autem. x. de heret. c. quod in te ii. x. de pæn. & remis.
 Hodierno usu obrinuit, ut infideles & ab omni prorsus religio-
 ne alieni, honesta sepultura digni haud habeantur, sed absque
 ceremoniis, in loco remoto ac separato extra Ecclesiam sepe-
 liri solent; prout rationibus & præjudicio hoc confirmat
Carpz. L. 2. Jpr. confist. d. 382. Quæ rationes cum ad *Judeos*
 & *Hereticos* ex asse quadrent, ideo & ritus iste sepeliendi ad
 eos non male extenditur. Quòd si verò contigerit, ut de fa-
 cto sepulturâ infide. polluat^r Ecclesia, re compertâ, ca-
 daverâ ipsorum rursus exhumanda sunt, quia committen-
 dum non est, ut post mortem jungantur cœtui fidelium, quo-
 rum confortia viventes impiè detrectarunt. Illustr. Dn. Præses
in Anal. ad Dessel. L. 5. t. 7. q. 6. Idem verò ad *Pontificios* &
Calvinianos extendere velle *Instrumento pacis in art. 5. §. 12.*
vers. Es ist auch ic. expressè contrarium esset: ibi disertis ver-
 bis habetur: Es seyen aber gleich Catholischer oder Aug-
 spurgischer confession die Unterthanen/sollen sie nirgends
 wegen der Religion verachtet ic. viel weniger von öffentl.
 Kirchhöffen und ehrlichen Begräbnüssen/ ausgegeschlo-
 sen/ oder ic. Hoc enim ante initam hanc pacem contigisse,
 ut Evangelici in acie cadentes, si *paternoster* (*Rosen Krän-
 ze*) secum non haberent, insepulti saepe à Pontificiis relictii
 fuerint, refert *Bürgoldens. ad 7. P. p. 2. disc. 14. §. 2. in f.* In-
 terim tamen adhuc hodie Pontificios usque adeo in dictam
 dispositionem impingers, ut ne quidem in hortis aut pascuis

suis Evangelicorum demortuorum corpora sepeliri permit-
tant, testatur Ziegl. ad J. Lancellot. L. 4. tit. de barec. § 9.
quàmvis in locis tantùm consecratis (in das Geweihte) se-
pulturam iis denegari, tradat Speidel. in Notab. jurid. histor.
politic. voce Begräbnis. Nostris in terris etiam Catholicos
& Calvinistas honesta sepultura dignamur. Pro ratione de-
functorum tamen, solennitatum quoque, in tumulatione,
ipforum, ratio habetur. Quando enim pertinaces, malitiosi
ac contentiosi fuerunt, absque omnibus solennitatibus &
pompa funerum, in loco separato, extra cœmeterium, vel in-
tra illud ad parietes in angulo, quodam, ab honestioribus se-
pulturis remoto, terræ demandantur. Quando verò ex sim-
plicitate aliqua errarunt, & in ea decesserunt, condolendum
potius ipforum conditioni, & ne affectibus trahi videantur
sepelientes, vel planè nihil, vel aliquid saltem ex ritibus & ce-
remoniis consuetis, in funeribus eorum remitti, æquius est;
veluti iudicavit facultas Theologica Wittebergenfis apud De-
dekenn. Vol. 1. consil. theol. in append. ad Loc. de ministr. Sect. 7.
n. 9. 10. & Consistorium Supremum Dresdense, apud Carpzov.
L. 2. 7pr. consil. d. 383. Add. Id. def. 384. à n. 1. usq. 6. Balduin. de
cas. consc. L. 4. cap. 11. cas. 5. Nec sepultura consuetis cere-
moniis adornata deneganda est iis, qui saltim de heterodoxa reli-
gione suspecti fuerunt, & antequàm ejus legitimè confessi &
convicti fuerint, vita excesserunt: pietas enim Christiana de,
quovis in dubio præsumere jubet id, quod optimum est, ideo-
que nec hoc casu sinistras de salute defuncti suspiciones ad-
mittit. Carpz. d. def. 384. n. 6. seqq. Hinc cadavera mortuo-
rum talismodi, quæ forte ob præsumtam hæresin inhonestè &
ignominiosè, in loco minus consueto, humata fuere, reefodi-
enda, & secundum ritus Ecclesiasticos, more aliorum piè de-
cedentium, denuo sepelienda esse, volunt Cöppen. quest.
enucl. 18. dec. 1. Anton. Bullæ. Resp. jur. 2. q. 1.

§. 3. Nunc ad ipsas juris in re species nos accingimus, quarum, juxta veriore[m] plurimorum sententiam, quinque sunt, *Dominium, Servitus, Pignus, Possessio, Hereditas*, uti late probat Schvvendend. ad Eck. §. 2. de R. D. Hahn. ad Wesenb. rit. de jud. n. 4. cum verò, ratione quatuor priorum specierum, nihil ferme speciale se offerat: ideo, relictis istis, ad *Jus Hereditarium* statim nos convertimus. Fundatur jus illud in *Successione*, quæ vel *Testamentaria* est vel *Legitima*. Illa defertur & acquiritur *per Testamentum*, quod effectu suo destituitur, si vel conficiatur ab eo, qui testamenti factionem activam non habet, vel instituat[ur] persona, cum quâ testamenti factio passiva non est, vel etiam modus testandi jure civili præscriptus rite non sit observatus.

§. 4. Hæc igitur ut nostro scopo accommodemus, *Personarum testantium habilitas* primò omnium examinanda venit. Notum autem est, quod priscis temporibus magnæ circa religionem ortæ fuerint turbæ, & malis artibus Diaboli factum sit, ut magna pars hominum ad hæreticas sectas aut etiam Gentilismum plane defecerit, & sic Christiani, Hæretici, Judæi & Gentiles promiscue inter se habitarent, quod in causa fuit, ut subinde quamplures alij, consortio & participatione horum corrupti, ad superstitiones & errores Christianæ fidei contrarios prolaberentur. Hisce malis ut occurrerent Rerum publicarum moderatores, & infidelium turbam facilius everterent, præter alia, quæ in odium illorum introducere, sapientissimè sanciverunt, ne liceret *Apostatis*, hoc est violatæ atque desertæ Christianæ religionis convictis, testamentum condere, aut heredem scribere vel legatum relinquere. *l. 3. C. de Apost. Richt. p. 1. dec. 57. n. 7. seqq.* Eos quoque, qui relicto vero orthodoxæ religionis cultu, hæresin & dogmata abominanda sectati fuerint, pari severitate persecuti sunt, ut sc. per bonorum omnium publicationem testandi liberam facultatem

tem amittant, & suprema illorum scriptura ipso jure nulla sit, sive Testamento sive Codicillo, sive Epistola, sive alio quolibet genere, ultimam voluntatem conceperint, quantumvis etiam piam causam concernat; *l. 4. §. 4. 5. Et l. segg. C. de Hæret. c. 13. §. credentes x. eod. modo prius Excommunicati & hærescos legitime convicti fuerint. l. 20. ff. de accus. avth. credentes C. de hæret. l. 2. C. qui testam. fac. poss. Brunnem. ad auth. Non licet. C. de Lib. præter. Carpz. p. 3. c. 14. d. 10. n. 3.* Nec reconvalescit tale testamentum, etiamsi postmodum ad veram fidem reversi fuerint. Ill. Dn. Præses in Anal. ad Dessel. L. V. t. 7. q. 4. Dauth. de testam. c. qui testam. facere poss. n. 242. Richt. p. 1. dec. 57. n. 6. quia nec bona fisco applicata recuperant, nisi ex singulari Principis gratia ipsis restituantur. Crusius de indic. p. 1. c. 53. n. 14. Sed isthæc vera sunt tantum, si sectæ suæ participes scripserint aut denominaverint heredes, eos enim qui rectè de fide sentiunt, rectè instituunt, iisdemque ritè ac legitime relictum omnino debetur; *l. 5. l. 17. §. 1. l. 19. C. de hæret. Nov. 144. c. 1. Nov. 115. c. 3. §. 14.* qui textus per avth. Gazaros. c. vit. non sunt correcti. Gerh. disp. 1. de testam. th. 28. Idque obtinet, tam quoad heredes voluntarios seu extraneos, quam necessarios seu liberos, qui tamen in eo prærogativâ aliquâ gaudent, quòd iisdem à parentibus hæreticis, testari volentibus illibata & indeminuta portio ab intestato debita relinquenda sit; quòd si facere neglexerint, ultima ipsorum voluntas infirmabitur. Attendendum autem erit, an non forte liberi tale, quid admiserint, quod reverentiam & pietatem paternam lædere, eosque tanto beneficio indignos reddere potuerit; *l. 13. §. 1. C. de hæret. patris enim persona semper Sancta & venerabilis liberis esse debet, l. 1. §. 2. Et l. 9. C. de Curat. fur. l. 9. ff. de obseq. parent. Et patr. præst. ibique Gothofr. in not. lit. s. quamvis impius ille & contemtor Legum existat. Nov. 12. c. 2.* Hoc igitur casu, præter id, quod à Magistratu puniantur, pater

ter testamentum condens, ad integram portionem istam relinquendam, non tenetur; interim tamen nec prorsus excludere eos poterit, sed nihilominus *Legitimam* ipsis præstare debebit. *d. l. 13. §. 1. C. de Hæret.* Non autem à testamenti factione activa tantummodo arcentur Apostata & Hæretici, sed nec ad passivam admittuntur, instituti licet ab iis, qui jus testandi habent. *vid. l. 4. l. 5. avt. credentes. C. d. t. c. 5. 6. § 13. §. credentes. x. eod. Nov. 144. c. 1. add. Harpr. ad pr. 7. de Hered. instit. n. 14. 15.* Et sub istis prohibitionibus continentur Hæretici omnes, cujuscunque etiam generis sint; Bachov. ad Treutl. *Vol. 2. D. 11. tb. 2. lit. g.* non itidem omnes Apostata: intelligitur enim hic loci tantum Apostasia *Perfidia*, seu ea quæ ad primam classem refertur, cujus generis homines *Perfidios* communiter appellant, qui sc. à Christianâ fide temerarie recesserunt. Apostasia autem *Inobedientia & Irregularitatis* (de quibus videri potest Lancellott. *in Inst. Jur. Can. L. 4. §. f. de Hæret. & schism. ibique Ziegl.*) huc non pertinet. Lauterb. *in comp. jur. tit. de Lib. & postb. p. 489. n. 4.*

§. 5. Quoad *Judeos* sciendum, quòd libera de rebus suis testandi, & Christianos æque ac religionis suæ confortes instituendi facultas, ipsis deneganda non sit, quia civium Romanorum numero habentur & in Imperio Romano vivunt, ideoque etiam juribus, civibus Romanis aliàs competentibus, gaudere debent; *l. 8. C. de juda:* utpote à quibus hoc in passu nulla innovatione aut contraria lege exclusi reperiuntur; quod autem mutatum non est, quare stare prohibeatur? *l. 27. C. de testam. l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. maj.* Similiter & ipsi, ex testamentis Christianorum hereditates & legata validè acquirere possunt: cum & hoc permissum censeatur, quia prohibitum non est. Ut autem heredis institutio, eidemque annexa legata, hoc casu subsistant, requiritur (1) ut in *singulos* tantummodo aliquid collatum sit: de Collegio enim *Judæo-*

rum aliud asserendum, cui ceu Universitati non approbata ultimâ voluntate relicta non debentur: *l. 1. C. de Jude. junct. l. 8. C. de hered. instit.* cum ex pia quadam ratione ista tolerentur magis quàm approbentur. *Carpz. p. 3. c. 13. def. 36. Finckelt. O. 24. n. 33. Brunnein. ad l. 20. ff. de reb. dub. (2)* ut res legata sit *in commercio Judaeorum*, aliàs enim nec æstimatio ejus debetur, licet res illa commercio Testatoris seu legantis Christiani exempta haud sit. *l. 49. §. 2. 3. ff. de Leg. 2. l. 34. ff. de V. O.* Exemplum est in mancipio Christiano, quod si Judæo legatum fuerit, inutilis ac nullius momenti erit hac in parte dispositio Testatoris. *Gothofr. in not. ad d. l. 34. de V. O.*

§ 6. Heredis institutio non raro *conditione* aliqua vestiri solet, quæ si forte hunc in modum concepta sit, ut tum demum hereditatem quis consequatur, si relicta religionè, quam hætenus professus est, aliam amplectatur, de *Jure Civili* distinguendum erit, an conditio institutioni adjecta conversionem ad fidem orthodoxam, an verò aversionem ab eadem sapiat. Priori modo dubium non est, quin conditio valide adiciatur, & is, cui ea imponitur, heres esse non possit, priusquàm eam adimpleverit. *arg. l. 4. §. 6. Et avtb. credentes C. de Hæret.* Posteriori modo conditio pro moraliter impossibili, adeoque non adjecta habetur. *Moribus* verò *bodiernis* convenientior videtur sententia illorum, qui statuunt, eum cui sub conditione religionis mutandæ, hereditas relicta, nequàm ad implendam eam teneri, sed capacem esse hereditatis, etiamsi conditionem testamento expressam adimplere nolit. Hinc obtinuit, ut non possit hereditas sub tali conditione deferri: Si ex Lutherano Pontificius aut Calvinianus, vel vice versa ex Pontificio aut Calviniano Lutheranus factus fueris, & ad finem usque vitæ in ea religione perseveraveris: quia hæc ceu turpis & inhonesta in potestate instituti posita esse non videtur. Nemo enim negaverit, maximopere lædi

pic-

pietatem & conscientiam ejus, qui, postpositâ animæ salute
inanimis divitiis, claritatem verbi divini semel agnitam de-
serit, & e contra religionem, quam ceu erroneam suâ hacten-
us adversantem cognovit, amplectitur. Ut taceam, quod
propter levitatem animi, quæ tali ex facto apparet, bona fa-
ma & existimatio talismodi hominis non parum periclitetur
apud bonos & graves Viros. Quæ causæ moverunt olim *Hen-
ricum* Ducem Saxonix, ut successionem *Georgii* fratris, sub
conditione apostasiæ oblatam recusaret: cujus pietatis insigne
quoque præmium tulit, dum hereditatem istam ab intestato
sibi delatam postea, invitis licet Pontificiis, adeptus est: *Sleidan.*
L. 12. p. 395. seq. cujus laudatissimum exemplum ad imitatio-
nem meritò quemque ob oculos sibi ponere fas est. *vid. Carpz.*
dec. 89. n. 13. seqq. De cætero non infringunt sententiam no-
stram, quæ in contrarium forte adduci solent argumenta,
Licet enim conditionis ea vis & natura sit, ut actum cui adjici-
tur suspendat, donec eo impleto seu existente confirmetur,
deficiente verò profus reddatur inutilis: Ex quibus inferen-
dum, heredem neglectâ conditione, hereditatis quoque par-
ticipem fieri non posse, nisi eam impiam vel aliàs impossibi-
lem demonstraverit, quæ probatio utique præsentis in casu
difficultate haud carebit, cum quælibet harum religionum,
constitutionibus Imperatoriis firmata sit, & ubique in Impe-
rio salva cujusvis existimatione toleretur. Sed hæc licet ita
sint, sunt tamen vera tantummodò resp. legis positivæ, ex
conniventia quadam ob temporum injuriam, turpia quan-
doque & inhonesta permittentis: jam verò bonum Virum,
non semper id quod licet, sed & quod honestum ejusque con-
scientiæ ac pietati convenit, facere oportet. *l. 144. l. 197. ff. de*
R. J. Nec est quod quis dicat, eum piè omnino & secundum
conscientiam agere, qui alterum ab erroribus avertere & ad
suam religionem (quam quisque veram & optimam esse cre-
dit.

dit, Grot. L. 2. c. 20. §. 47. n. 3.) allicere laborat; Nam quàm-
vis finis talismodi hominis in se bonus sit, media tamen istum
obtinendi turpitudinem continent, ideoque admitti non pos-
sunt: cum maximè indecorum sit, spe turpis lucri ad religio-
nis mutationem quempiam inducere velle. Ex his itaque se-
quitur, quod institutio tali conditione vestita, per se quidem
subsistat, ipsa autem conditio vicietur, & tanquam pietati ac ex-
istimationi heredis contraria pro impossibili, in honesta, ad-
eoque non scripta habenda sit: l. 1. l. 8. l. 9. l. 14. l. 20. pr. ff. de
de cond. instit. l. 20. ff. de cond. & dem. l. 5. C. de inst. & subst.
ita, ut heres institutus statim, ac si pure scriptus esset, heredi-
tatem adire possit. Vid. Carpz. dec. ill. 89. Philip. Uf. præf. L.
2. Ecl. 93. Besold. in delib. L. 5. t. 2. c. 27. D. Struv. Ex. 33. rb. 50.
Idem iudicium est de Legatario cui sub tali conditione reli-
ctum aliquid fuerit, uti patet ex Aut. alleg.

§. 7. Heredis institutio est vel prima, seu *Institutio in
specie sic dicta*, de qua hactenus: vel *secunda*, quæ rursus fit vel
verbis civilibus & directis, ut in substitutione, vel *precaris &
obliquis*, ut in fideicommissis. Quoad *Substitutionem* constat,
quod ea heredis institutionem supponat, adeoque nemini
competat, nisi iis qui testamenti factionem activam habent,
& heredes primo loco instituere possunt. Quoniam igitur
Apostatis & Hereticis heredem instituendi licentia non est in-
dulta, meritò & substituendi facultas iisdem denegatur.
Quod verum est, sive de *vulgari* sive *pupillari* sive *exemplari* si-
ve *militari* quæstio instituatur, ob generalitatem rationis in
singulis speciebus hisce concurrentem. Dictum autem quod
Christianos instituere non prohibeantur: hinc quæri potest: *An
resp. illorum procedat etiam substitutio?* Quæstio hæc ex qua-
litate objecti & subjecti passivi potissimum astimanda, ideo-
que in tria membra se diffundit. Aut enim substituitur (1)
Christianus Christiano, & certum est, quod sicut institutio, ita sub-

substitutio quoque vires habeat. Aut (2.) *Christianus Hæretico*, quo casu, licet quidam existiment, substitutionem corruere, quia ipsa institutio nulli momenti est, hereditatem autem ad heredes defuncti ab intestato, vel in casu impotentiae aut voluntatis eorum, ad fiscum pertinere, benignior tamen sententia est, eos per substitutum excludi. *arg. l. un. §. 13. C. de cad. toll. autb. hoc amplius. C. de fideicom. vid. Ludv. Ex. 8. th. 4. l. d.* Aut (3.) *Apostata vel Hæreticus Christiano*, quomodo substitutio plane erit inutilis, quia personam inhabilem concernit, quæ uti nec primo, ita nec secundo loco institui potest. Res hereditaria autem in casu non aditæ ab instituto hereditatis non ad heredes ejus, sed vel *ad successores ab intestato* vel *ad fiscum* devolventur, per *LL. all.*

§. 8. Transitum nunc facimus ad *Fideicommissa*, quæ originem traxere à providentia, & causa ratione testandi illorum, qui incapacibus aliquid relictum vellent, alio autem remedio efficere non poterant, ut exitum sortiretur ultima voluntas illorum, quàm si res suas hereditarias eis, qui capere aliquid ex testamento poterant, relinquerent, quorum fidei committebant, ut easdem iis, quos nominarunt in testamento, sed propter prohibitionem legis aut impedimentum naturæ directò instituere non poterant, restituerent. *§. 1. f. de fideic. hered. §. f. cod.* Ratione originis istius asserendum videtur, quod etiam hæreticis & Apostatis aliàs incapacibus hoc modo defetri posset hereditas, nisi generalitas textus in *l. 4. §. 2.* (ibi: *ab omni successione*) *l. 5.* (ibi: *qualitercunque it. quolibet alio genere*) & *l. 22. C. de hæret.* eos ab omni successione arceret, quarum dispositio ob specialem rationem omnino hic attendenda.

§. 9. Institutioni contraria est *Præteritio & Exhereditatio*, quarum utraque circa personas diversæ religionis effectus suos habet. Cùm enim Liberiregulariter à parentibus præ-

teriri hãud possint, eo tamen casu, si à Sacrosanctã Ecclesia deficiunt, nec quatuor concilia, Nicænum sc., Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense recognoscunt, tantum abest, ut huic prohibitioni locus sit, ut potius impunè istud facere LL. permittant. Idem juris est circa exheredationem, cuius inter causas lege determinatas expressè refertur *heresis*: huic enim si adherere liberos orthodoxi parentes cognoverint, licentia ipsis est, eos tanquam ingratos hac de causa exheredes in testamento suo scribere. Et quidem si pravitas ista hæretica per se sit *notoria*, ne quidem opus est, ut ceu exheredationis causa nominatim testamento exprimat, aut ab herede probetur, quod alias fieri necesse est: neque enim ullum remedium datur talismodi liberis, ad rescindendum testamentum, aut hereditatem paternam alio modo consequendam: quia etiam, dispositione licet nulla prorsus facta, ab omni successione severitate legum exclusi, acquiescere nihilominus debuissent vid. *Nov. us. c. 3. §. 14.* Hæreticis verò accensendi hoc casu non sunt *Pontificii & Calviniani*, ut qui supra dicta IV. concilia non respuunt, sed cum aliis orthodoxæ religionis fundamentis, multis licet traditionibus & superstitionibus inquinatis, agnoscunt: Carpz. *de L. R. C. 6. S. 4. n. 10.* cui accedit unio & confederatio Pontificiorum & Calvinianorum, cum sociis Augustanæ confessionis, per transactionem Passaviensem & Osnabruggensem, inita, quarum vigore *quoad actus civiles & Politicos* inter hæreticos referri non possunt, licet *quoad actus divinos & Spirituales sive articulos fidei* nec non *estimationem vulgi* hanc notam non effugiant. Stephani *ad Nov. us. n. 18. in f.* Brunnem. *ad autb. non licet. C. de lib. præter. §. causa decima tertia.* Ex quibus sua sponte fluit, quod pater Augustanæ religioni addictus, filium in eadem religione educatum, propterea exheredare non possit, quod ad Pontificiam aut Calvinianam religionem transitum fecerit,

ne sc. hoc modo libertas religionis restringatur, quod omnino fieret, si liberi, ob ejus mutationem legibus permittentibus factam, incurrerent pœnam, & à facultatibus paternis excluderentur. vid. Carpz. p. 3. c. 14. d. 10. n. f. & dec. ill. 89. num. 4. Philip. Us. pr. L. 2. Ecl. 58. Schulz. in Syn. Inst. ad t. de exhered. Lib. lit. c. n. 14. Suth. diff. IX. apb. 56. Favore religionis Christianæ & conversionis infidelium nec *Judeorum liberi* ad Christianismum conversi à parentibus exheredari possunt. Ill. D. Præses in Anal. ad Dess. L. 5. t. 6. g. 2.

§. 10. Quòd si verò, ob mutatam à liberis religionem, offensi parentes ad exheredationis notam prolapsi fuerint, integrum erit istis, testamentum tale tanquam inofficiosum per querelam inofficiosi infringere; Rectè autem hoc ad *totalem* tantùm ab omnibus bonis exclusionem restringitur: nam si legitima saltem filio à religione recedenti relicta, reliqua verò portio aliàs ipsi competens à patre ad eamra fuerit, querelà inofficiosi testamentũ infirmari non poterit, sed acquiescendum ipsi erit in dispositione patris, cujus justissimæ iræ & vindictæ imputare debet, quòd eum ceu transgressorem voluntatis indignum judicaverit suis facultatibus, & hoc modo violatæ pietatis & obsequii pœnas luere voluerit. Cum enim aliàs cuivis liberum sit, relicta liberis etiam non delinquentibus legitimâ, de cæteris bonis liberrimè disponere, l. 8. pr. C. de inoff. test. l. 10. C. famil. ercisc. multò minus hoc casu patri graviter læso invidendum erit, quo minus iræ suæ aliquantum indulgeat, & ad hoc animadvertendi genus prolatur. Sed hæc ita se habent *ratione temporum nostrorum*, quâ quælibet ex tribus istis in Imperio receptis religionibus æquali jure & privilegiis gaudet. Nam *ratione juris civilis* patre hæretico, filio verò Orthodoxo existente, integra portio ab intestato debita præstanda; nec sufficit, extra casum ingratitude, si sola legitima relinquatur: per ea quæ supra §. 4. in m. d. tradita sunt.

§. 11. Caterum magnus hodiènum favor est circa petitionem legitimæ, in casu, quo liberi receptæ, parentes verò improbatæ alicujus religionis sunt. Regulariter enim vivis parentibus querela de exhibenda legitima liberis non datur, *l. 1. §. 2. l. 6. C. de inoff. testam.* tum quia hoc pietati repugnat, tum quia quantitas ejus non nisi post tempus mortis æstimationem recipit, & proinde ad exactam ejus computationem præcisè hoc tempus spectandum sit: nec enim constare potest, quid & quantum sit futurum in cujusque facultatibus tempore mortis, cum propter casus inopinatos augeri & minui possit substantia bonorum. *l. 24. ff. quæ in fraud. cred. l. 79. ff. ad L. falc.* Myns. *C. 4. obs. 25.* Rauchb. *p. 1. q. 43. n. 12. seqq.* His tamen haud obstantibus, eo casu, quo à parte liberorum consilium fraudis abest, à parte parentum verò periculum dissipationis bonorum subest, liberis remedium juris denegandum non est, quo mediante portionem sibi debitam à patre etiamnum vivo consequi possint, hac ratione habita, ut tantum de substantia patris detrahatur, & petentibus accedat, quantum de ea spes obligationis tempore mortis veniens promittere videtur. *arg. l. 37. §. 1. ad L. falc.* Quibus ex causis moti Scabini Lipsienses, non dubitarunt audire filiam religionis orthodoxæ à patre Anabaptista legitimam petentem. Cum enim hoc casu verendum esset, ne homo iste omnem substantiam in communionem sectæ suæ detestabilem conferret, & sic filiam præter ipsius culpam portione debita defraudaret, contra *Növ. 115. c. 3. l. 29. C. de inoff. testam.* necesse erat, mediis legitimis in tempore ipsi succurrere, ne malitiâ patris læsæ, omnique restitutionis medio destituta, legitimam prorsus postea carere cogatur, uti hac de re præjudicium extat apud *Carpz. p. 3. c. 12. d. 10.*

§. 12. Hæc de successione testamentaria: transeamus nunc ad *Legitimam seu ab intestato*, quæ deficiente demum testamen-

mentaria locum habet, & defertur iis, quibus ex jure proximitatis aut ratione aliqua civili debetur, qui exinde *heredes legitimi* vocantur, & secundum graduum prærogativam admittuntur, nisi ex causis lege expressis prohibeantur. Horum in numerum referuntur *Hæretici*, de quibus constitutum, quod nec ipsi agnatis orthodoxis succedere, nec orthodoxos successionis jure gaudentes ab hereditate sua excludere possint. Expediti enim juris est, quod Liberi hæretici nullo modo parentibus succedant, quod obtinet, sive utrumque parentum habeant hæreticum, sive utrumque Christianum: aut alterum saltem hæreticum alterum Christianum, cum indifferenter in singulos hujus generis homines, absque personarum concurrentium respectu, pari severitate animadvertere voluerit Legislatorum providentia. *auth. Gazaros. C. de Hæret.* Nec prodierit cuiquam, quod ad hereditatem aliquam obtinendam, forte se simulet orthodoxum: *l. 18. pr. C. de Hæret.* cum, ut quis capax bonorum paternorum fieri possit, requiratur, ut vita & fides invicem correspondeant, & quis vel eadem via cum patre in fidei paritate strenuè ambulet, vel, si ea non satis tutè videatur, à paterna pravitate ad coetus fidelium discedat. *l. 4. §. 6. C. d. t.* Quæcumque autem videri possint hæc pœnæ, ad vindictam & extirpationem falsorum dogmatum sancitæ, tanta sane & præstantiora multò sunt privilegia, quæ contemplatione religionis, ad veri cultus divini propagationem, divinæ legis observatoribus indultæ sunt. Inter hæc non minimum est, quod liberi orthodoxæ religioni addicti ad successionem parentum vocentur, tam eo casu, quo uterque eorum alienæ sectæ est, quàm eo, si alteruter saltem, pater sc. vel mater, à vera fide aberraverit: hi enim nullatenus impedire possunt, quo minus id quod liberis hisce debetur, integrum exhibeatur. *l. 13. §. 1. C. d. t.* Porro laudabiliter constitutum, ut concurrentibus unà liberis fidelibus & infidelibus, ii soli admittantur

tur, qui orthodoxorum venerabili nomine decorati sunt, & cæteris à communionem Ecclesiæ separatis præferantur, qui patii coguntur, ut portio sibi ipsis ceu indignis ablata, illis jure accrescendi acquiratur; nec immeritò, cum iniquum haud sit, ut ii, qui non Dei omnipotentis amorem, sed paternam vel maternam impiam affectionem, sequi maluerunt, ab omni beneficio repellantur. Unde etiam est, quod tales, ne quidem si soli adsint, & cum liberis orthodoxis haud concurrant, substantiæ paternæ participes fieri possint, sed ab agnatis vel cognatis orthodoxis, gradu quàmvis remotioribus, excludantur; quin imò, ne his quidem existentibus, hereditas tanquam vacans *Ecclesiæ* vel *fisco* applicetur, hac tamen observatâ differentia, ut *Ecclesiæ*, ubi quis domicilium habet, in bonis *Clerici* Hæretici *fiscum* excludat, nisi intra annale spatium eadem sibi vindicare neglexerit, hoc enim si contigerit, dominium eorum *fisco* cedit; cum e contrario hereditas *Laicorum* substantiam concernens, absque ulla distinctione, statim tali casu patrimonio *fisci* acquiratur. *l. 15. l. 18. §. 1. l. 19. pr. C. de heret. l. 3. C. de Apost. Nov. 115. c. 3. §. 14. vers. Si vero liberi.* Verius autem est, quod casibus hisce Hæreticorum liberorum jus in suspenso maneat, & nuda possessio ac ususfr. potius rerum hereditariarum quàm proprietates ad fratres vel agnatos transferatur, qui nec proinde ex iis vendere aut alienare quicquam possunt, sed fructus exinde perceptos usque eò suos faciunt, donec infideles ab Ecclesiâ recedentes ad eam conversi fuerint. Tunc enim pars ipsis competens, in statu quo tempore isto reperitur, ipsis exhibetur, nulla ratione habitâ fructuum, à possessore hætenus perceptorum, pro quibus consequendis nullam actionem habent. Quod si verò ad extremum usque vitæ halitum in errore perseveraverint, tunc demum dominium ad eos, quibus hoc debetur, pleno jure devolvitur. *d. Nov. vers. si vero posthac. seq. Quoad Pontificios,*

Lu.

Lutheranos & Calvinianos odiosa hæc in Imperio Romano hodie cessant, cum liberi propterea, quod ad aliam religionem transierint, jus successionis ab intestato non amittant, ob libertatem sc. cuius hac in parte concessam, quæ non permittit, ut idem quis juribus sibi competentibus privetur, per eam quæ supra §. 9. circa med. deduximus. Add. Carpzov. 7. F. p. 3. c. 14. d. 10.

§. 13. *Jus ad rem* consistit in obligatione, qua mediante personæ intuitu rerum sibi invicem adstringuntur ad præstandum aliquid vel faciendum. Mollenb. C. 3. div. 19. add. 1. Causæ illam producendi sunt facta provenientia ex contractu aut quasi, vel ex delicto aut quasi. §. f. 7. de Oblig. Quoad Contractus, & quidem *Personas contrahentes* in genere, sciendum, quod quibusvis in Imperio, cujuscunque religionis sint, liber commerciorum usus permittatur, aded ut licitum sit Christianis contrahere & distrahere cum Judæis & Saracenis, eod quod commercia cum iis exercere jura expresse permittant. l. 8. l. 9. C. de Jude. Marq. de Susa. de Jude: p. 1. c. 4. n. 16. §. c. 5. n. 1. De contractibus in specie, & quidem *veris nominatis*, vulgaris est divisio, quod vel *re* vel *consensu* vel *verbis* vel *litteris* perficiantur. Contractuum *Realium* quatuor sunt species, *Mutuum, Commodatum, Depositum & Pignus*, in quibus singulis personarum contrahentium potissima ratio habenda, ut à quibus forma contrahendi & obligatio inde fluens dependet. Quod igitur contractum *Mutui* concernit, nihil impedit, quominus is inter diversæ religionis homines celebrari possit. Sic nihil frequentius est iis in locis, ubi Judæis habitandi facultas concessa, quam ut mutuam Christianis pecuniam credant & vicissim à Christianis accipiant. Ut autem validus sit talis contractus, requiritur, ut secundum præcepta legum fiat. Hinc non evadet pœnam Judæus, in fœneratorum odium olim constitutam, si forte filiofamilias pecuniam crediderit, sed re-

petentis eam repellatur exceptione Scti Macedoniani. *t. t. ff. ad Sctum Maced.* Nec in eo prærogativa aliqua gaudent Judæi præ Christianis, quod fœnore illicito Christianorum opes attenuare & ex rebus mutuo datis usuras immodicas impune accipere possint; quàmvis enim hoc privilegium ipsis à *Carolo V.* concessum sit, attamen quia malitiis eorum nimium, quantum indulgere videbatur, eidem rursus derogatum per *Ord. polit. de anno 1577. tit. 20. §. Damit aber die Juden. & decisum*, ut quidem usuras legitimas inter Christianos receptas *V.* nimirum pro *C.* accipere ipsis integrum sit, sed si quid amplius, ultra modum lege determinatum, aut consuetudine provinciæ receptum, usurarum nomine à debitoribus, quocunque prætextu, exegerint, id aut in sortem imputare aut restituere teneantur. *Reink. de R. S. & E. L. 2. clas. 2. c. 3. n. 18. 19. Hagen. de usur. usurar. c. 5. Gail. 2. Obs. 5. in fine.* Quapropter, ut omni fraudi obviam iretur, cautum, ut mutuam Christianis pecuniam Judæi non sua sed germanica lingua coram magistratu loci conscribant, & quid & quando crediderint, quodque & quale pignus acceperint, adjiciant. *Ord. pol. l. c. §. 3. Add. Ref. ord. pol. de anno 1530. sub tit. Von Juden und ihrem Wucher. ibi: daß sich die Juden des Wuchers und verbottener wucherlicher Käuffe enthalten.*

§. 14. Ratione *Commodati, Depositi & Pignoris*, nullæ ferè juris differentia occurrit inter Judæos & Christianos, cum eadem juris dispositio utrinque hac in parte obtineat. Illud hic prætereundum non est, quod quæ in pignoribus, ob avaritiam improborum Creditorum, jure civili reprobata est Lex commissoria, *l. f. C. de pact. pign.* Judæis quoque in specie novissimis Imperii constitutionibus expresse interdicta sit, ita ut pignora à Christianis sub lege ista recipere, vel sine judiciali autoritate alienare, nullo modo ipsis liceat. *vid. Ord. polit. l. c. §. und diessel man.*

§. 15.

§. 17. Contractus reales excipiunt *Consensuales*, quos inter primum locum occupat *Emtio venditio*, circa quam ratione objecti, rerum sc. quæ in hunc contractum deducuntur, notandum, quod quas jus Civile aut mores Civitatis commercio Judæorum eximere, nullo modo eisdem à Christianis vendi possint. Quam ob causam interdictum est hisce, ne mancipium Christianum Judæis, Paganis aut Hæreticis vendant. *l. 1. C. ne Christ. mancip.* Similiter nec emtio partus sanguinolenti, cujus venditio parentibus in casu summæ necessitatis regulariter permittitur, *l. 2. C. de patr. qui fil. dist.* quoad has personas habebit effectum. Præter id enim, quod obtinendi ejus servitii facultatem haberent, donec vel pretium, vel mancipium aliud oblatum fuerit, *d. l. 2.* deterioratio & corruptio ejusdem ex prava educatione metuenda esset. Eadem quoque personæ ab Emptione rerum *immobilium*, quæ ad Ecclesiam & alios venerabiles locos, ut scholas, hospitalia, xenodochia, orphanotrophia vel quascunque pias causas pertinent, sub pœna amissionis, tam ipsius rei quàm pretii pro eo exsoluti, arcentur, gravissima insuper pœna in eos pro qualitate personarum constitutâ, qui ad temerariam ejusmodi rerum alienationem prolapsi sunt. *l. 20. C. de Hæret. Nov. 131. c. 14.* Dicta prohibitio etiam ad res *sacras & religiosas* per se mobiles, vasa nimirum, vestes, liberos, ac cætera donaria cultui divino dedicata, extenditur. *arg. d. Nov.* Ab emptione rerum *furtivarum* quoque abstinere debent Judæi: quàmvis enim *jure Saxonico* immunes fuerint ab evictione, cum permittum ipsis fuerit, ut præter res ecclesiasticas omnes alias furtivas emere aut pignori accipere absque periculo amissionis possint, *per text. Landrechf. L. 3. art. 7. circa fin.* cujus dispositionis rationem ex ipso textu & glossa ad eundem annotat Franzk. *ad tit. ff. de Evict. n. 324. seq. add. Coler. dec. 26. n. 2. Berl. p. 1. consl. 24. n. 71.* observantia tamen istius dispositionis, ceu juri & æ-

quitati contraria, quia Judæis Christianorum fortunis incre-
dibili odio inhiantibus occasionem delinquendi, & prærogati-
vam præ Christianis concedebat, non immeritò postmodum
abrogata est. *Wehner in Obs. pract. voce Juden p. 1. p. m. 182.*
Pingizig. 49. n. 17. Siquidem Judæis permittere res furtivas
emere, pignori ve sumere, nihil aliud est, quàm iisdem furandi
& cum furibus colludendi licentiam dare, & hoc modo me-
lioris conditionis reddere quàm Christianos, quod utique ra-
tionabili aliquo statuto contra dispositionem juris in *l. 2. C. de*
furt. induci nequit: vid. *Sichard. ad d. l. 2. n. 2. & 3. Richter.*
p. 2. dec. 96. n. 104. seq. Franzk. l. c. n. 326. Ue hinc nec senten-
tia illorum tolerari possit, qui inter rei furtivæ scientiam &
ignorantiam distinguunt, volentes statutum, quo non nisi re-
fuso pretio bona talismodi emta restituere jubentur Judæi,
valere, modo res alienas esse nesciverint, inter quos est *Re-*
buff. in act. de privil. univ. priv. 115. Menoch. L. 5. presunt. 29.
n. 35. seq. Marq. de Sufan. de judæ. p. 1. c. 11. n. 18. hoc enim mo-
do suspicionis crimen haud evitabunt, cum qui rem à trans-
eunte & ignoto emit, omni fraude carere non videatur, ideo-
que nec excusatione dignus sit. *l. 5. C. de furt.* Hodie res hæc
extra omnem controversiam posita est, cum sanctionibus Im-
perii novissimi omnis qui superesse potuit scrupulus fuerit
remotus, uti constat (1) *Ex ord. polit. de anno 1530. tit. Von*
Juden und ihrem Bucher. ibi generaliter emtio rerum fur-
tivarum, nullà inter scientiam & ignorantiam rei alienæ men-
tione facta, interdicitur: cui accessit (2) in *R. J. de an. 1548.*
tit. 20. ut si quid tale fecerint, citra dispendium veris suis do-
minis absque refusione pretii restituant. Ulterius provisum
(3) in *ord. pol. de anno 1577. tit. 20. §. Daß sich auch ic.* ut si res
furtivas aut vi creptas in fraudem legis statim iterum aliena-
verint, pretium nihilominus restituant, sin vero scientes
emerint, in super pro modo delicti puniri debeant: quod &

re-

repetitum in R. J. de anno 1607. tit. von Juden und ihrem
Wucher. §. daß sich auch. Vid. Franzk. ad r. ff. de Bvict. n. 324.
588. Stamm. de Servit. L. 1. t. 5. c. 3. n. 6. Schulz. in Syn. Inst. ad
t. de Obl. qua ex del. nasc. lit. p. Reink. de R. S. & E. L. 2. ch. 2.
c. 3. n. 21.

§. 16. Hæc de Emtione Venditione rerum corporalium,
nunc quoque de incorporalibus agendum erit. Communis est
Dd. opinio, quòd Judæi nullo modo possint vendere & cede-
re Christiano nomen & actionem contra Christianum compe-
tentem, sed amissione debiti plectantur, si hoc facere ausi fue-
rint; id quod probant ex disertis verbis, quæ habentur in R. J.
de anno 1551. §. diesem zu begegnen. verl. Es soll auch kein
Christ. it. Ord. Polit. de anno 1577. tit. 20. §. Es soll auch kein
Christ. adeò quidem, ut Notarii & Magistratus, super hujus-
modi cessionis contractu instrumentum conficientes, hono-
ribus & officio exuti infames fiant, aliique id facientes carcere
ac aliis modis puniantur. d. R. J. de anno 1551. §. zu dem Wols-
len. Quibus constitutionibus procul dubio innumeræ frau-
des Judæis in hoc negotio propriæ ac usurariæ pravitates, ex
venditionibus ejusmodi frequenter resultantes, ansam dede-
runt, quarum tenore etiam quidam inducti, nulla unquam ex
causa aut prætextu cessionem actionum validam esse posse
existimarunt; cui sententiæ subscribunt Reink. de R. S. & E.
L. 2. ch. 2. c. 3. n. 22. 23. Lenz. de nom. & act. cess. v. 6. n. 1. Lau-
terb. in coll. ad tit. de Hered. & act. vend. §. 22. 23. Verum re-
ctius restringitur isthæc prohibitio ad venditionem actionis ex
contractu extrajudiciali competentis, uti haud obscure colli-
gitur ex contextu & connexionem verborum præcedentium,
dicti Rec. Isti enim plerumque debita illiquida concernunt
& pravitatem usurariam vix effugiunt, quæ commodè per
cessionem sub occulta specie veri contractus exerceri potest.
Tali igitur venditioni ceu contractui prohibito quando in-
stru-

strumentum malitiōse & fraudulentē superadditum fuerit, utique & ipse actus erit nullus, & instrumentum etiam, quia actui invalido adjectum, vires habere non poterit, sed unā cum principali suo infirmabitur. Quibus consequens, quod aliud dicendum, si debitum sit *liquidum* & aperto jure nitatur, quod ex contractu *in judicio* legitime celebrato resultet, & super quo insuper instrumentum judicialiter confectum, juxta *Rec. Imp. d. l. vers. wollen und gebiethen.* aut etiam si ipsa cessio in judicio peracta approbata & confirmata fuerit. Ratio enim prohibitionis, metus sc. pravitatis usurariæ, tali in casu cessat, ideoque nihil obstat, quo minus tale jus bona fide, absque dolo & causa opprimendi debitorem, validè per cessionem in Christianum transferri possit, cum contractus in judicio peractus omnem fraudem ac suspicionem pravitatis usurariæ excludat. *c. in presentia. 6. x. de renunc. c. sicut. 16. §. ult. x. de sentent. & re jud. l. 12. C. de pact.* Et hanc sententiam in praxi receptam esse testatur Carpzov. *J. F. p. 2. c. 30 d. 45. & L. 5. Resp. 38. Richt. p. 1. dec. 36. n. 11. seqq. Philip. Obs. 6. ad dec. noviss. Sax. 28. n. 27.* Idem juris esset, si debitor, in cujus præjudicium Judæus alteri Christiano actionem cedit, in cessionem consentiat, vel eam saltim non impugnet: eo ipso enim in sandem consentire præsumitur, scienti autem & consentienti non fit injuria neque dolus; *c. 27. de R. J. in 6. l. 34. C. de transact. & nemo videtur fraudare aut injuriam facere, si, qui sciens non contradicit, cum possit: l. 145. ff. de R. J.* Cùm enim supradicta prohibitio in favorem debitoris introducta sit, cuivis autem liceat favori pro se introducto renunciare, hoc quoque casu idem factum censetur, dum debitor sciens non prohibendo in cessionem consentit. *Richt. l. c. num. 15.*

§. 17. Quod supra dictum de rebus Ecclesiasticis in Judæos aut Hæreticos per emtionem non transferendis, obtinet etiam

etiam in contractu *Locationis Conductionis*, & qui huic affinis est, *Emphyteuticario*, ut sc. nec hoc modo, jus aliquod talismodi personis à Christianis constitui possit. *Nep. 13. c. 14.*

§. 18. Sequitur jam ut de contractu *Societatis* discipiamus, *utrum sc. homini Christiano societatem mercatoriam inire liceat cum Judæo, & an Princeps eam permittere debeat?* Quatenus ut negotium civile, quod juris Gentium est, contractus hic consideratur, interdictus iste Judæis respectu Christianorum non videtur, sed eatenus permissus, quatenus & in aliis actibus humanis licitum Christianis cum iis communicare. Quod hic præprimis dignoscendum ex rebus & operis in societatem deductis, quarum si collationem personarum ejusmodi conditio non respuit, nihil impedit quo minus & societas talis subsistat. vid. *Zöf. ad tit. ff. pro soc. n. 15.* Veruntamen quia societas plerumque majorem quandam familiaritatem inducit, quàm commercii genus aliud, propter perversionem & corruptionem Christiani, quæ magis à Judæo metuenda, quàm ut conversio ipsius expectanda, rectius faciet Princeps, si eam inter Christianos & Judæos omnino prohibeat, quam in rem responderunt Theologi Jenenses apud *Dedeken. V. 2. conf. Eccl. Sect. 6. n. 6.* add. *Marq. de jure merc. L. 1. c. 11. §. 104.* *Ziegl. L. 1. c. 61. §. 35.* *D. Struv. in dec. Sabat. c. 11. dec. 4.* De Mandato commodior dicendi locus infra, occasione personarum judicium constituentium, se offert. Reliquos verò contractus, *verbalem sc. & literalem*, nec non *quasi contractus*, quia singula eorum requisita ratione personarum contrahentium ex jure communi, quod nullam hac in parte differentiam inducit, æstimanda veniunt, lubenter hic præterimus.

§. 19. Hisce subnectere lubet quæstionem: *An si Judæus contractui ex rationibus civilibus invalido juramentum adjecerit, hoc ipso ejusmodi contractus æque reddatur validus, atque inter Christianos, secundum mentem cap. si contingat. 28. de*

K

Jurej?

Jurej? Negant alii, eò quòd rationem *d. c.* quæ est, ne propter perjurium animæ periculum quis incurrat, in Judæis cessare existiment, utpote qui secundum fidem Christianam jam pro perditis & damnatis habentur, ut sic dispendium atque perditio animæ eorum metuenda non sit, adeoque nec juramentum tale eos obstringere possit. Alii distinguendo diversos casus rem expedire conantur, volentes juramentum actui invalido adjectum tum demum nihil operari, si Judæus cum Judæo rem habuerit, quod si verò contractum aliquem cum Christiano initum juramento confirmaverit, vi hujus ad implendum eum omnino obligari. Verùm nec hæc distinctio rem exhaurit, utroque enim casu Judæus validè tenetur, quia & ipse in sua religione, secundum quam jurat, salvum sese futurum credit, sentiant licet alii de ipso quicquid velint. *D. Struv. de invoc. nom. div. aph. 10. p. 38. seq.*

§. 20. Restat nunc ut de *delictis* quædam subjiciamus. Obligationis autem effectus, qui ex delicto oritur, in multis juris articulis clare patet in personis diversæ religionis. Inter *delicta privata* connumeratur etiam *furtum*, de cujus objecto, rebus nempe furtivis, supra §. 14. dictum: Quoad effectum, poenam sc. suspendii, ex *Const. Crim. Caroli V.* furibus infligendam, quæri potest; *an peculiare quid ratione Judæorum obtineat, ita sc. ut inversè à pedibus aliter ac Christiani suspendendi sint?* Quod negatur, quia Judæi utuntur jure communi perinde ac Christiani, convenit igitur ut secundum LL. communes quoque judicentur, quæ hîc non distinguunt inter fures Judæos & Christianos. *Carpz p. 4. c. 32. d. 22.* Et licet modus iste puniendi quibusdam in locis sit receptus, consuetudinè tamen valdè irrationabili niti illos Judices, qui isto supplicii genere in Judæos furti reos sævire solent, tradit *Romus in paraph. ad art. ult. Const. crim.* De cætero Judæo furti convicto *delicti venia indulgenda* haud est, ob id quod respiscere & Chri-

Christianam fidem amplecti velit. *arg. cap. inter alia. 6. de instituta. Eccles. Carpov. pr. crim. p. 1. q. 49. n. 74.* quia non tam motu libero quam studio poenam avertendi & vitam servandi id fieri solet. Ordinariam tamen poenam Judæo converso, eo sine, ut & alii infideles tali modo ad Christianismum invententur, remitti posse, pietati convenit, quod tendit *cap. ad abolendum. 9. x. de heret. vid. D. Struv. in tr. de Delict. c. 4. obs. 3. Spreng. in Jpr. publ. p. 264. q. 2.*

§. 21. Hic etiam notari meretur, quod ad exemplum actionis de servo corrupto hodie detur actio utilis tam civilis quam criminalis, adversus Judæos & Hæreticos, iis, quorum liberos famulos aliasque personas ad se pertinentes dictæ personæ malo consilio & persuasionibus ad suam religionem seducere aut quovis alio modo quoad animum corrumpere tentarunt, ad id, ut vel damnum ex corruptione ortum resarciantur, vel corrumpens pro ratione delicti, poena relegationis, proscriptionis bonorum aut etiam capitis multetur. *l. 18. C. de Jud. l. 5. C. de Apost. Quod si Judæus in corpus Christiani damnum dederit, illud circumcidendo (sive hoc ipse sive per alium faciat) proscriptione bonorum & perpetuo exilio damnatur. l. 16. C. de Jude.*

§. 22. Quoad delicta publica, ratione stupri & adulterii quaestio occurrit, *quanam poena afficiendus sit Judæus Christianam, aut Christianus Judæam carnaliter cognoscens? Commixtionem talem Sodomiticam appellat & indifferenter mortis poena coercendam autumat Damhoud. pr. crim. c. 96. n. 28. Rectius distinguitur cum Menoch. de arb. jud. L. 2. c. 3. cas. 290. ut siquidem solutus cum soluta animo contrahendi matrimonii rem habuerit, ex L. Julia de adulteriis poena capitali ut adulter puniendus sit; arg. l. 6. C. de Jude: (quamvis poenam istam adulterii duram nec usu observandam dicat Wesenb. in π. tit. de R. N. n. ult. in f. cui ad stipulatur Carpov.*

J. R. p. 4. c. 26. d. 4. Et pr. crim. g. 69. n. 43. fustigationem fuf-
ficere æstimans.) Quod si commixtio facta inter *personas co-*
pulatas, eadem poena adulterii locum habeat: Sin verò *extra*
matrimonium saltim libidinis, causa extraordinaria afficiantur.
add. *Clar. 5. sent. §. 5. num. 26.* Brunnem. *ad l. 6. C. de Jude.*
D. Struy. de Delict. c. 4. obs. 3. Ill. Dn. Præf. *in Anal. ad Dessel.*
D. 4. tit. 1. g. 11.

§. 23. *Homicidii* prohibitio generalis est, & omnes omninò
concernit, ideoque à poena ejus ordinaria non erit immunis
Christianus Judæum occidens, quia homicidium committit,
non secus ac si in persona Christiani id perpetrasset: *can. Cleri-*
cum. 5. can. qui Verò. 40. dist. 5. nec enim ferendum est, ut quis
religionis gratia insidiis hominum impune exponatur, adeo-
que audiendi non sunt, qui sub ejus prætextu in personam Ju-
dæi, cœu hominis à fide Christiana alieni, præcipientes aliquid ad-
miserint. Etiam si enim sectæ istius homines variis sceleribus
imbutos esse quis cognoverit, idcirco tamen fas non est, ut si-
bi ipsi ultionem arrogare audeat, cum hunc in finem judicio-
rum vigor jurisque publici tutela in medio sit constituta. *l. 14.*
C. de Jude.: Decian. *intr. Crim. p. 1. L. 5. c. 15. n. 1. 2.* Nam
postquam semel recepti sunt Judæi, facti esse de populo & de
eodem corpore civitatis censentur, Reink. *L. 2. Cl. 2. c. 3. n. 47.*
& hac de causa etiam, tanquam membra Reip. æque ac alii ci-
ves, protectione principis gaudere & securitatis auxilio frui
debent, quæ si temerario ausu violare quis sustinuerit, pœ-
nam incurreret transgressoribus talismodi præscriptam. Ex
eadem ratione ædificia illorum tam contra vim publicam,
quam privatam à magistratu defenduntur, ut hinc nemini li-
ceat in Synagogam judaicæ legis violenter irruere, aut habi-
tacula eorum concremare, vel quovis alio modo lædere, uti
patet *ex l. 4. §. 14. C. de Jude.*

CA-

CAPUT III.
DE JUDICIO PERSONARUM DI-
VERSÆ RELIGIONIS.

¶ *U*m omne iudicium quatuor partibus absolvatur, sc. (1) *personis iudicium constituentibus* (2) *causa in iudicium deducta* (3) *forma procedendi* & (4) *fine*. D. Struv. Ex. 9. th. 2. ideo ex his, quæ ad nostrum scopum facere possunt, eodem ordine prosequemur.

§. 2. Quando igitur concurrunt diversæ religionis personæ, regulariter aliàs iudicium principaliter constituentes, Actor sc. Reus & Judex, quaritur: *an iudicium tale subsistat?* Et affirmativa quidem (modo personæ hæ aliàs habiles sint, neque ob defectum aliquem naturæ impediuntur, aut rationem aliquam civilem prohibeantur,) extra omnem dubitationis aleam posita est, ita ut Actor reum diversæ religionis valide convenire possit, & hic etiam ab eo conventus comparere ac litem contestari teneatur. Neque refert, an iudex diversæ planè tam resp. actoris quàm rei religionis sit, quod contingit, si v. g. Lutheranus à Reformato coram iudice Pontificio conveniatur; an verò ratione actoris sit ejusdem, diversæ verò cum reo religionis, aut vice versa, ejusdem resp. Rei, diversæ verò respectu Actoris. Utroque enim casu de causis controversis, *secularibus* sc., hisque *civilibus vel criminalibus*, valide cognoscere, easque sua sententia definire potest. Neque reus priori casu de habilitate Judicis excipere, eumque forte ex capite singularis gratiæ & favoris, pro actore tanquam consorte religionis, & inimiciæ contra se ab eodem præsumtæ, tanquam suspectum repudiare, neque actor etiam posteriori casu, si forte sententia contra ipsum feratur, ex hoc capite de nullitate agere, & iudicis tanquam suspecti sententiam infirmare poterit.



§. 3. Habilitati Judicis junctam esse oportet *Competentiam*, quæ affirmatur, ex eo, an quis habeat illam Jurisdictionis speciem, ad quam causa controversa pertinet; ratione hujus causæ enim reus consequitur forum, quod deinde Actor sequi tenetur: quibus requisitis stantibus, uti iudicium perfectum est, ita deficientibus illis inane redditur & elusorium. Ex quibus constat, quid dicendum de Jurisdictione à Pontificibus in personas & causas Ecclesiasticas ac Spirituales in terris Protestantium injustè prætesa. Sc. cum prospero rerum, successu elati, majestatem circa sacra, jurisdictioni & subjectioni potestatis Civilis extortam, sibi arrogarent Pontifices, (quo jure quæve injuria ostendit Burgoldenf. *ad J. P. p. 2. disc. 16. §. 4.*) & sedem Apostolicam, ceu omnium Ecclesiarum, matrem & magistram, commune Clericorum & causarum, Ecclesiasticarum forum constituerent *c. 20. de for. comp. c. quis dubitet 9. dist. 96. c. aliorum 14. c. cuncto. 17. c. per principalem 21. caus. 9. q. 3. v. Dn. Struv. Ex. 9. tb. 16.* eousque tandem pro-
vecti sunt, ut hæc violenter contra omnia jura occupatâ sacrâ tyrannide & Jurisdictione Papali in Imperatores & Seculares Germaniæ Principes ultra omnem ferè modum abuterentur. Sub qua iniquitate cum diu satis ingemisceret Christiana. Resp., tandem superiori seculo Papale jugum excutere, & libertatem unâque politicam circa sacra potestatem, in ipsam cultum personas & res sacras competentem exercere cœpit. Et hoc jus Sacrorum non sine insigni labore faucibus Pontificiis ereptum, Principibus & Statibus sub hoc modo tributum, ut Jus Dioecesanum & Jurisdictio Ecclesiastica Curia Romanæ & Episcoporum Pontifici adhærentium, cum omnibus suis speciebus, de quibus latè Carpz. *in Jpr. consil. L. 1. d. 4. seqq.* contra Augustanæ Confessionis Status, usque ad compositionem Christianam dissidii religionis, maneat in suspenso, & intra terminos territorii cujusque se contineat, uti hoc expedi-
tum

tum est in *Transactione Passaviensi de anno 1552.* & confirmatum in subsecuta *Pacificatione religionis anno 1555.* S. Damit auch, postea repetitum in *Instr. Pac. anno 1648. art. 5. §. 16.* & denuò innovatum in *cap. Leop. §. wir sollen und wollen. 2.* Ista igitur potestas Ecclesiastica & cura circa sacra, ad Principes Imperii hoc modo devoluta, hodie in terris & ditionibus ipsorum ad regalia relata, vi Superioritatis territorialis, *frasse habender Landes Fürstl. Obrigkeit/* unà cum politicarum & temporalium rerum gubernatione rite exercetur, ita quidem ut negotiorum secularium cognitionem in judiciis secularibus tractent, causas vero spirituales, potestatem Ecclesiæ *internam* respicientes, ipsis Ecclesiæ ministris committant, reservata sibi potestate *externa*, gubernationem, defensionem ac propugnationem Ecclesiæ concernente, cujus ipsius quoque administratio commodè per certos Consiliarios in Consistoriis expediri solet. Vid. Carpz. *de L. R. c. 3. Sect. 9. & 7pr. consil. t. 1. per tot. it. dec. ill. 113.* Reink. *de R. S. & E. L. 1. cl. 5. c. 4. n. 228. & L. 3. cl. 1. c. 10. n. 1. seqq.* Meisn. *p. 3. P. S. Sect. 2. c. 2. 9. 1.* Burgoldens. *ad 7. P. p. 2. disc. 16. §. 5. & disc. 19. §. 13. p. 1083.* Syring. *de Pace relig. concl. 44. lit. a.* Spreng. *in 7pr. publ. tit. de stat. imper. p. m. 193.* Seckend. *im Deutschen Fürsten-Staat. p. 2. c. 11. n. 1. 6. 7. & c. 13. n. 3.* Stephani *de Jurisd. L. 3. c. 4. n. 13. & cap. 15. per tot.*

§ 4. Cum igitur Pontifici illam circa sacra potestatem non concedamus, forum quoque illud commune non amplius agnoscimus. D. Struv. *Ex. 9. th. 16.* adeoque in causis Ecclesiasticis & multò minus Secularibus nemo Lutheranorum, nec ratione personæ nec patrimonii, coram sede Pontificia, conveniri poterit, nisi immediate Jurisdictioni ejus subiectus sit. Neque enim admittitur illorum sententia, qui sanctionem pacis, quoad suspensionem Jurisdictionis, ad causas ecclesiasticas *merè spirituales, fidem Christianam & cultum divinum*

vinum immediate respicientes, restringunt, causas verò mix-
tas, quæ aliquando ad forum Ecclesiasticum, aliquando ad
forum Seculare pertinent, excludunt, ita, ut iudicium causa-
rum huiusmodi, ad fidem & religionis exercitium immediate
haud pertinentium, etiam in terris Statuum Evangelicorum,
Episcopis Catholicis relictum censeant, prout hoc Jcti Dil-
ligentes probare volunt (ex ipsis verbis *Pacif. relig. in §.*
Damit auch vers. aber in andern Sachen) in *composit. paci-*
c. 6. q. 42. in prefat. vers. hactenus de autonomia. Ad causas
talismodi mixti fori referuntur *causa matrimoniales, divor-*
ti, usurarum, juramentorum, decimarum & similes, quarum
cognitio contra nugas Pontificiorum rectissime iudicii Sta-
tuum Evangelicorum tribuitur, tum propter controversias,
quoad causas istas Lutheranis cum Pontificiis intercedentes,
quæ quia & ipsæ conscientiam ac religionem, præprimis quod
matrimonium attinet, tangunt, à suspensione Jurisdictionis
Ecclesiasticæ excipiendæ non sunt. *d. §. Damit auch. vers.*
Damit die geistliche Jurisdiction; tum propter Constitutio-
nes Ecclesiasticas, in quibus de juribus istarum causarum pro-
visum est, quæ non tantum in *Pacif. relig.* valere iussæ *d. §.*
Damit auch. sed & inveteratâ Imperii consuetudine firmatæ
sunt; ut taceam, quod à iudicio, coram Episcopo Catholico
instituto, facillè ad Archiepiscopum aut ipsum Papam cau-
sæ tractatio per appellationem devolvi possit; quod & ipsum
scopo Pacificationis disertè repugnaret, uti hæc late deducit
Carpz. Jpr. consil. L. 1. d. 9. Reink. de R. S. & E. L. 3. cl. 1. c. 10.
Quod si igitur quæstio moveatur de matrimonii substantia,
vinculo, jure & viribus ejus, tantum abest, ut Status Augusta-
næ Confessionis, in cognitione causarum huiusmodi per Offi-
cialem aliquem Pontificium, ullo modò turbari aut lis avo-
cari possit, ut potius hoc casu contingente mandata & proces-
sus in Camera (cujus quidem Jurisdictio aliàs in causis matri-
mo-

monialibus non est fundata: Burgold. *ad J. P. p. 2. disc. 19. §. 13.*) auf den Religions-Frieden/ decerni possint. Reink. *l. c. n. 29. 30.* Cui consequens est, quòd nec decisio controversiarum matrimonialium inter ipsos Principes Evangelicos emergentium, ad quemcunque tandem judicem pertineant, coram Pontifice expediri possint. Reink. *l. c. n. 31. seqq.*

§. 5. Personis principalibus accedunt & assistunt minus principales. Qui *judicantibus* accedunt, dicuntur *Assessores*, quos religionum diversitas, quæ vel ipsi invicem inter se vel cum iudice intercedit, ab assistendi munere non excludit, cum potius tutius & consultius sit, ut tales personæ in administrandâ iustitiâ focii & membra unius collegii constituentur. Exemplum est in *Camerâ Imperiali*, cujus cura Pontificiæ æquæ ac Augustanæ Confessionis personis committitur. *Ord. Cam. p. 1. t. 3. §. und insonderheit / respectu sc. habito ad Imperatorem & Status Imperii*, qui iudicium illud representant per ministros suos, Legum peritos, quorum consilia & operæ in exercenda Jurisdictione adhibentur. *Ord. Cam. p. 1. t. 8.* Et hi ipsi ejus plerumque religionis esse solent, quam fovent Principes & Status, à quibus præsentantur. Numerus autem Assessorum præter Judicem (de cujus constitutione & officio vid. *Ord. Cam. p. 1. t. 3. in pr. §. t. 7. §. ult. it. t. 9. in pr.*) & quatuor Præsides (quorum duo ex Augustana Confessione à sola Cæsarea Majestate constituuntur) quinquaginta personis hodie absolvitur, ita ut Catholici, computatis duobus Assessoribus, Imperatoris præsentationi reservatis, XXVI. Evangelici XXIV Assessores præsentare possint & debeant, atque ex singulis Circulis mixtæ religionis non tantum duos Catholicos, sed etiam duos A. C. addictos assumere & eligere fas sit. vid. *J. P. art. 5. §. 20.* ubi in fine schema Statuum A. C. Assessores præsentantium exhibetur. Singulos Status Imperii utriusque religionis, quibus jus præsentandi Assessores competit, recenset or-

L

dine

dine Burgoldens. ad J. P. p. 2. disc. 19. § 12. Idem etiam in *Judicio Aulico* observatur, quod antehac non nisi Pontificiæ religionis personas ad justitiæ administrationem admittebat, quæ causas Evangelicorum, in Camera aliisque judiciis jam moras & jurisdictioni suæ sæpius haud subjectas, ad se avocare ausæ sunt, uti hac de re conquesti sunt Protestantes in gravaminibus in conventu Pacis Osnabrugo-Monasteriensi anno 1646. circa justitiæ punctum exhibitis, quorum verba exhibet Burgoldens. l. c. §. 14. 15. Sed quoad hoc gravamen petitis Statuum Evangelicorum satisfactum, ut se. ad decisionem causarum aliquot Augustanæ Confessionis docti & rerum Imperii periti Viri, ex iis Imperii Circulis, ubi vel sola A. C. vel simul etiam Catholica viget religio, in istud judicium recipiantur, eo quidem numero, ut eveniente casu paritas judicantium ex utraq; religione Assessorum observari possit. J. P. l. c. §. *sondern eben*. Et hoc ipsum, quod Evangelici cum Catholicis de Reip. juribus merito participare debeant, & ad Magistratus aliaque Reip. munera æquali jure admittendi sint, summæ necessitati, rationi, æquitati naturali & Gentium juri, imò & stabiliendæ in Rep. liberâ inter Status paritatis & juris concordiæ & amicitæ conveniens est, uti & hoc ipsum dicta gravamina Protestantium luculenter demonstrant, quæ, cum nominatim ea hic exprimere pagellarum angustia non permittat, videri possunt apud Burgoldens. l. c. §. 14.

§. 6. Partibus *Litigantibus* accedere solent *Advocati*, à quorum laudabili officio repelluntur omnes, qui fidem Christianam non profitentur, quorum in numerum refer *Gentiles, Judæos & Hereticos*, vid. l. 15. C. de *Episc. aud. l. f. C. de postul. Nov. 144. c. 2. in med.* Similiter & in Camera in Advocatorum numerum nemo recipitur, qui non est Catholicæ vel Augustanæ religioni addictus, Reformatâ simul religione sub hac comprehensâ, *Ord. Cam. p. 1. tit. 18. junct. preced. t. 3. §. f. R. 7. de*

de anno 1654. §. doch sollen dabey, vid. Lauterb. in coll. ad tit. de postul. lb. 11. n. 1. Procuratoris & Defensoris officium, ceu vile & abjectum, sicut olim cujuscunque ordinis hominibus, fervis sc. & infamibus, conferri poterat, ita nec hodie *Judeos* in Christianorum Curiis excludit, id quod ipsum in Camera quoque receptum, ubi tamen illud singulare, quod *Judæus*, à Christiano Procurator constitutus, alium Christianum substituere non possit, uti præjudicio Camerae hoc firmat Mynf. 2. Obs. 13. *Judæus* quoque per Christianum Procuratorem negotia sua judicialia expedire potest, modo super causâ non prohibita munus hoc alicui demandaverit. Talis in Camerae habetur *Juramenti præstatio*, ad quam Procuratoris constitutio se non extendit, Wurmf. tit. de Proc. obs. 4. in f. De Testibus diversæ religionis vid. seq. §. 9.

§. 7. Ut causa in judicium deducta feliciter tractari & finiri possit, requiritur ut à judice pariter ac partibus modo legitimo procedatur, quod fit per *Processum*, cujus inchoamentum est *Citatio* seu *in jus vocatio*, quæ inter alia quoque ratione conceptionis continere debet dici, ad quem reus comparere debet, *expresionem*, l. 8. C. quom. & quand. jud. l. 8. §. 5. quod *vi aut clam*. quem diem juridicum, hoc est non feriatum, esse oportet. cap. conquestus. s. de fer. arg. l. 2. in f. ff. si quis in jus voc. vid. Gail. 2. O. 53. Nicol. in proc. p. 1. c. 3. §. 32. Cum verò sæpe contingat, ut personæ diversæ religionis unius ejusdemque Judicis Jurisdictioni sint subjecti, ratione quarum alibi computantur feriæ secundum *Calendarium Novum* seu *Gregorianum* (ab Autore Papa *Gregorio XIII.* nomen trahens) alibi secundum *Vetus* seu *Julianum* (quod *Julio Casari* adscribitur,) quæritur hac occasione, *Utrum discrepantibus feriis Actoris an Rei, an potius Judicis feriæ in præfigendo termino attendende sint?* Varias in partes eunt Dd. in decisione hujus quæstionis. Quam plurimi asserunt Judicis feriæ, nul-

la habitā ratione Actoris aut Rei, respiciendas esse, quoniam in arbitrio Judicis citantis est, quibus diebus sui copiam facere velit, & regulariter aliās quoad solennitates spectari soleat mos & consuetudo loci, in quo unumquodque negotium celebratur. *l. 34. ff. de R. J. l. 3. §. f. ff. de testib.* Et huic sententiæ subscribunt Treutl. *V. 1. D. 5. tb. 9. l. f. Duar. ad t. C. de test. c. 2. Sande L. 1. dec. fris. tit. 12. d. 5. Wissenb. p. 1. ad ff. d. 8. tb. 12. Gail. 2. O. 123. n. 2. Eck. tit. de Fer. §. 5. ibique Schvven-dend. in not. Ungep. ad Decret. d. t. §. 18. p. 192. Vallenf. in par. Jur. Can. d. t. n. 16.* Alii præsupposito, quod diversitas Calendariorum vel religionum, unde diversitas feriarum dependet, in Rep. permittatur, utique etiam partes litigantes attendendas esse volunt, ita ut si Actor & reus diversæ religionis sint, & sic diversis diebus colant ferias, utriusque in præfigendis terminis ratio habeatur, cum aliās facilè contingere possent, ut in diem termini, ad quem citantur partes, v. g. Lutheranae religionis, fortè festus paschatis aut nativitatis Christi incidat, qui eodem die Judici Pontificio, coram quo comparere tenentur, sacer non est, quo ipso à parte litigantium profanatio festorum & cultus divini neglectus committeretur, id quod sine periculo conscientiae aut præjudicio religionis concessæ fieri non possent. vid. Bachov. *ad Treutl. l. c. Franzk. ad t. ff. de fer. n. 27. D. Struv. Ex. 5. tb. 16. Strauch Dissp. ad ff. 24. apb. 11.* Accedit quod sententia die feriato dicta, quod ut plurimum citatis partibus fieri solet, ipso jure nulla sit: *l. 1. §. 1. ff. de fer.* nec quidquam hoc casu operari possit voluntas & renunciatio Judicis aut partium, quæ tantum in feriis profanis attenditur, in divinis verò præprimis ordinariis prohibita & inutilis est *c. f. x. d. t.* uti rectè ob id notatur Eck. à Schvven-dend. *l. c.* ut adeo ratio dubitandi illa pro Judice faciens, perfortiores decidendi infirmetur. Cum igitur prior sententia hoc modo nec de jure civili quidem tolerari possit, altera

tera ceu æquitati & rationi temporum nostrorum, nec non constitutionibus Imperii, convenientior omnino attendenda erit. Sanè quid certi hoc in casu statuendum, de eo inter Imperii Status nondum convenit. vid. *R. J. Ratisb. de anno 1654. §. Ob auch wohl mit und neben.* Illud certum est, quod in *Camera Imperiali* in exhibendis supplicationibus, dandis decretis, expediendis processibus & documentis, signandis productis, nec non justificandis formalibus in causis appellationum cæterisque actibus judiciariis semper dies Veteris Calendarii apponi solet, id quod conclusum d. 14. Jul. anno 1583. referente *Autore decis. seu præjud. Camer. verbo: Calendarium.* quem citat Reink. *de R. S. & E. L. 3. cl. 1. c. 2. n. 32.* Burgoldenf. *ad J. P. p. 2. disc. 19. §. 16. inf.* in feriis autem celebrandis, & sic etiam computatione terminorum, utrumq; observat; *Ord. Cam. p. 2. t. 35. §. 8.* quàmvis non sine levi jactura & temporis dispendio, qua de re conqueritur Blum. *in proc. Cam. t. 62. n. 4.* uti & hoc ipsum inter defectus judicii Cameralis refert Burgoldenf. *l. c. ab init. Add. Mollenb. C. 1. div. 45. add. 1.* Ex dictis simul patet, citationem ratione insinuationis quoque esse imperfectam, si sc. die feriato reo citando pontificiæ vel Lutheraniæ religionis exhibita fuerit, licet ratione judicis vel actoris dies ille festus & sollemnis haud reputetur. vid. *l. f. §. 1. C. de fer. & c. f. x. eod.* De Calendarii Novi à Pontifice Gregorio XIII. toti Christiano orbi facta obrusione, ejusdemque à Protestantibus insculta rejectione consule Reink. *de R. S. & E. L. 3. cl. 1. c. 2. n. 17.* D. Müller. *in disp. de Concordia discordantis Germaniæ c. 5. per tot.*

§. 8. Citationem hoc modo legitimè facta & subsequuta, etiam litis contestatione, probationibus opus est, quæ fiunt per *Instrumenta & Testes.* *Instrumentis* à Notariis præmitti solet *Invocatio nominis divini*, ad ductum Justiniani, hisce plerumque verbis comprehensa: *In Nomine Domini nostri Jesu Christi:*

sti: aut germanicè: Im Nahmen der heiligen hochgelobten Dreyfaltigkeit. Qua occasione quaeritur: An instrumentum conficiens Notarius Christianus, inter Judæum & Christianum actum aliquem celebrantes, ipsique talem formulam præfigens, delinquat, ut per hoc vitietur instrumentum? Dissentiunt quidem in hac quaestione Dd. Negantium tamen sententia ex eâ potissimū ratione, ut aliàs taceam, merito prævallet, quia in omni opere invocandum est nomen Christi, ergo & Notarius, pro felici actus sui liciti successu, istud rectè invocat, nec præmissione ejus instrumentum reddit invalidum. Neque est, quod ita Notarius causam contemptui præstet, esset enim scandalum acceptum, non datum, si Judæus, nomen Christi instrumento præfixum, contemneret, quod Notario, qui extra culpam esset, non imputandum. vid. Marq. de Susan. de Judæ. p. 1. c. 10. n. 2. Modestini. Pistor. in proc. p. 2. c. 23. n. 7. Ut tamen omnis delinquendi occasio evitetur, rectius facit Notarius, si solum scribat. In Nomine Omnipotentis Dei: In Nomine Altissimi: Dei aeterni. Latissime hanc controversiam examinavit Bolognetus in Rubr. ff. de oper. novi nunc. n. 67. usque ad 75. Struv. in tr. de Invoc. nom. divin. apb. 10. p. 33. seqq. Illud etiam hic prætereundum non est, quod cum instrumentorum editio regulariter soli actori incumbat, Judæus indistinctè, sive Actor sive reus sive neuter horum sit, ad petitionem ejus, cujus interest, ad edendum compelli possit: ex ea ratione, quod instrumentorum editio in aliis personis mera æquitate nitatur, contra Judæum verò rigor non æquitas observanda sit. vid. Menoch. de A. J. 2. cas. 235. num. 30. Gail. 1. O. 106. n. 12.

§. 9. In testibus *Habilitas* est spectanda. Reprobatur autem de Jure Civili & Canonico Judiciale testimonium Judæorum & Hæreticorum aliorumque infidelium adversus litigantes Orthodoxos l. 21. C. de bar. c. 1. x. de testib. quia qui in fide Chri-

Christianâ suspecti sunt, etiam in testimonio humano dubii habentur: *c. non potest 24. c. 2. g. 7.* idque procedit indistinctè, sive utraque pars orthodoxa sit, sive altera tantùm; Testimonium tamen pro Orthodoxo latum non rejicitur, *c. si hæreticus. 26. c. 2. g. 7.* quemadmodum nec inter se Judæi & Hæretici certi generis testes esse prohibentur. Pari modo & in causis Christianorum *Testamentaria* testimonia eorum, & quæ in ultimis voluntatibus, vel in contractibus aliisque negotiis extrajudicialibus consistunt, propter publicam utilitatem permittuntur. vid. *c. l. 21. C. de hæret. & c. si hæreticus. 26. Sichard. ad rubr. C. de test. num. 14. Oldend. de test. c. 4. n. 17. Cravetta. conf. 73. n. 12. 18. Mascard. de probat. concl. 945. per tot.* Quin imò in causis usurariæ pravitatis etiam contra Christianum ad testificandum admittitur Judæus, per tradita Cravett. *conf. 73. n. 7. segg. Cacheran. dec. 72. n. 2. Jure Saxonico ad testimonium ferendum Judæi indistinctè admittuntur, testante Colero dec. 127. Reinh. p. 4. diff. 18. quod & praxi Camerali receptum esse probat Wehner. in obs. pract. voce Juden. ex Ord. Cam. p. 1. c. ult.* ex quâ tamen colligere se hoc nondum potuisse dicit Reink. *de R. S. & E. L. 2. cl. 2. c. 3. n. 34. inf.*

§. 10. Probationes etiam fieri solent per *juramenta*, quæ vel ipsis partibus litigantibus sibi invicem, vel ad petitionem partium testibus deferuntur & imponuntur. Cum verò non omnes Gentes unum idemque Numen habeant, cujus vindictæ in Jurisjurandi præstatione sese subjiciant, dubitatum jam olim fuit inter *Jctos, an Christianus à Gentili juramentum accipere possit?* Quæ pro negativâ militant rationes, spernendæ omnino non sunt; etenim à Gentili aliud juramentum, quàm quod per Deos fictitios, idola aut creaturas fit, expectari non potest, talismodi autem cum formam juramenti (quæ in asseveratione religiosâ, invocationem veri & trinunius Numinis continente, ponitur) excedat, non tam *Divino Jerem.*

f. v. 7.

s. v. 7. *Matth. 5. v. 34. 35.* quàm *Canonico, c. 26. x. de jurej. c. 9.*
Et 16. caus. 22. q. 1. & ipso etiam *Civili jure l. 5. §. 3. ff. de jurej.*
improbatur, omnique obligatione destituitur. *D. Struv. Ex. 17.*
tb. 4. s. 6. 7. Sed hæc prohibitiones uti per se & in abstracto ve-
ræ sunt, ita potissimum ad eos, qui veram Numinis notitiam
habent, & quibus legitimus jurandi modus lege præscriptus,
restringendæ videntur; cæterum in *hypothesi* & ex necessitate
quadam, præsupposito sc. quod gravissimâ de causa contro-
versia sit, cujus veritas aliter explorari nequit, tantum abest,
juramentum Gentilis prorsus rejiciendum esse, ut potius licitè
ab eodem acceptari imò exigi planè possit. Exemplum est
in *Jacobo & Labano Gen. 31. v. 52. 53.* ubi vide *Cornel. à Lapi-*
de in comment. Consideratâ enim opinione jurantis, qui super-
stitione vel errore ductus aliquid pro vero Deo colit, dicen-
dum, quod talis ex conscientia erroneâ, quæ habet vim obli-
gandi sub eâ quâ concipitur ratione, rectè juret & firmiter om-
ninò obligetur: *l. 5. §. 1. ff. de jurej. ibique Gothofr. lit. à. c. ecce*
10. caus. 22. q. 5. c. movet. 16. caus. 22. q. 1. plus enim hoc casu
ob utilitatem publicam videtur in opinione jurantis quàm
exigentis vel rei ipsius veritate, & jurans credens, eum quem
invocat esse malorum Vindicem, omneque malum & injusti-
tiam certissimè puniturum, suâ opinione & conscientia tan-
tùm subit periculorum, quantum alius per verum Deum ju-
raturus. vid. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 13. §. 12.* *Pufend. d. J. N.*
Et G. L. 4. c. 2. §. 4. *Amel. de conscient. L. 4. c. 22. n. 40.* *Covarr.*
in cap. quamvis. in 6to de pactis. p. 1. §. 1. n. 20. seqq. *Balduin. de*
cas. consc. L. 2. c. 9. cas. 3. Hinc si *Turca* deferatur juramen-
tum, uti *Venetis* aliisque finitimis locis sæpe accidit, utilitas
postulat, ut jusjurandum concipiatur per invocationem *Mu-*
hamedi, in vindictam jurantis, si fallat, quia per Christum
quem non agnoscit, facile pejerabit; *Anton. Faber. in l. 5. §. 1.*
ff. de jurej. quàmvis expediat & conscientia quoque magis con-

conducat, si illi per Deum Creatorem cœli & terræ, quem ex naturali lumine cognoscere possunt, jurent. Accipiatur tamen ab illis juramentum necesse est, quale haberi poterit, Franzk. *ad t. ff. de jurej. n. 13.* D. Struv. *Ex. 17. tb. 5. & in tr. de Inv. Nom. div. aph. 10. p. 35.* Marq. de Susan. *de Jude. p. 2. c. 8. n. 13.* Lauterb. *in coll. ad t. de jurej. tb. 16.*

§. 11. Litigantibus invicem *Judæis & Christianis*, isti quoque ad juramenti præstationem admittendi sunt. Ita præstare possunt juramentum *calumnie*, vid. Wurmf. *L. 1. §. 14. de jurament. obs. 6. it. promissorium & assertorium, nec non suppletorium.* Mynf. *C. 5. 0. 6.* Christianus tamen concurrens cum *Judæo*, ad posterius hoc facilius admittitur. Matth. Berl. *p. 1. concl. 53. n. 16. seqq.* Carpz. *in proc. t. 12. art. 2. n. 47.* Quoad formam *Judæis* in præstatione juramenti observandam, videri posset, eos sicut Christianos tactis SS. Evangelii jurare debere, arg. l. 8. C. de *Jude.* Verùm quia isti Evangelio non credunt, nec perjurium se committere, si contra faciant, faciliè persuasum habebunt, ut sic potius divini Numinis illusio, cum injuriâ deferentiam, juramentum conjuncta, quàm compositio causarum expectari possit. Expediit itaque, ut per *Legem Mosaicam & super X. præcepta* jurent, id quod in omnibus ferè Christianorum Curii observari consuevit. Solent autem jurijurando talismodi certæ solennitates præmitti, de quibus, & ipsis juramenti, formulis videri potest Struv. *de Invoc. nom. div. aph. 10. p. 38.* Add. *Ord. Cam. de anno 1533. sub tit. Formund Ordnung des Judenthums.* & *de anno 1555. p. 1. art. 86. §. 1. usque 10.* Add. Lauterb. *in coll. ad tit. de jurej. tb. 16. p. 793.* Mynf. *C. 6. obs. 20.* Wurmf. *de jurament. obs. 7.* Gilhauf. *arb. jud. civ. p. 6. c. 6. n. 12.* Wehn. *obs. pr. voce Judent.*

§. 12. His quæstionibus affinis est alia controversia, inter Pontificios & Protestantes agitata. Nimirum de Pontificiis constat, quòd cum cultum Virgini Mariæ, Angelis, Sanctis eorum-

M

que

que reliquiis tribuant, qui idololatriæ notam effugere vix potest, & hinc à Protestantibus, salvo honore, qui salvâ pietate ipsis debetur, meritò pro vano & impio habetur, penitusque rejicitur. Ex hoc fundamento quoque formulas istas jurisjurandi, præter Dei Sanctorum invocationem continentes repudiarent; quod ipsum tamen de *Jure Civili* fieri potuisse declarat formula juramenti, quæ in *Nov. 8. c. 3.* habetur, quam ceu impietatis plenam non immeritò rejiciendam judicavit Stephani *ad d. Nov. n. 17.* Balduin. *de cas. conf. L. 2. c. 9. cas. 2. p. 332.* Hujus generis etiam est formula juramenti, quâ Imperatores olim Romani noviter electi Imperio se obstringere consueverunt. Ita juravit in coronatione sua *Carolus V. & Ferdinandus I.* uti hoc videre est in *Cap. Car. V. art. 31. & Ferdin. I. art. 28.* Conf. Becm. *in not. dign. illustr. D. 5. c. 1. §. 2.* Ad idem recidit formula, quam olim *Carolus IV.* in *Aur. Bul. c. 2. §. 2.* Electoribus, ante electionem Imperatoris vel Regis Romani præstandam, præscripsit: quod & olim, cum omnes essent Romano Catholici, citra dubitationem & formidinem idololatriæ præstiterunt, postea verò exortâ luce Evangelii, inter alios errores Pontificios hic quoque ab aris focusque Evangelicorum ejectus est. Unde & Electores in conventu Francofurti *anno 1562.* ad eligendum Regem Romanum instituto, expunctis verbis istis, hæc substituerunt. *Ita me Deus adjuvet & Sanctum ejus Evangelium.* Goldast. *in pol. imp. p. 1. disc. 9.* quod & in sequentibus electionibus ad nostra usque tempora observatum fuit. Carpz. *de L. R. C. u. S. 9. n. 18. 19.* Quin & ipsi Imperatores formulâ istâ hæctenus usi sunt, uti apparet ex *Cap. Maximil. II. art. 17. Rudolphi II. art. 36. Mattheie art. 42. Ferdinandi II. art. 43. Ferdinandi III. art. 52. Ferdinandi IV. art. 48. Leopoldi art. 47.* vid. *Limnæ: ad art. 31. Cap. Carol. V. ad verba: zu Gott und den Heiligen.* In *Judiciis* quoque & foro formula isthæc jurandi Sanctorum invocationem continens olim fuit usurpata; ita


ita in *Camera* priscis temporibus liberum erat Assessoribus & aliis in hoc iudicio occupatis, unâ vel alterâ harum formularum pro cuiusque arbitrio uti: den *Eyd zu Gott und den Heiligen*: oder: zu Gott und auff das heilige Evangelium zu thun/ qui antiquus iurandi mos in *R. J. Comit. Spir. de anno 1544. §. so viel das Recht ic. expressè confirmatus fuit, & repetitus in Transact. passav. anno 1552. §. und soll auch alles. in fin.* postea tamen ad evitandas confusiones, ex diversitate formularum istiusmodi orituras, in *R. J. anno 1555. §. und dann dieweil. communi Statuum placito decretum,* ut in posterum indistinctè utriusque religionis personæ, nullâ invocationis Sanctorum mentione factâ, formulam iuramenti auff Gott und sein heilig Wort oder Evangelium stellen sollen. Id quod & eodem anno ita expeditum in *Ord. Cam. p. 1. à tit. 57. usque ad 86. vid. Beust. in rubr. de Jurej. §. L. 13. §. juravi. cod. n. 4. 5. Limnæ. ad A. B. num. 2. 3. 4. Rauchb. p. 2. q. 2. n. 52. Franzk. ad t. de Jurej. n. 15. Struv. de invoc. nom. div. apb. 9. p. 19. seqq.* Alii formulas istas aliter efferunt, de quarum varietate vid. *D. Stryk. in append. ad Exam. Jur. feud. n. 6. seqq.* Permansit verò ritus ille iurandi per Deum & Sanctos in multis imò plerisque Pontificiorum Curiis ad hodiernum usque diem in viridi observantia. *Ayrer. in proc. p. 1. c. 6. obs. 5. n. 3. Anton. Delr. de juram. cal. c. 18. n. 17. Franzk. tit. de Jurej. n. 14.* imo apud nonnullos tantâ in veneratione habetur, ut formulas istas, etiam in *Investituris Feudorum* à Vasallis suis Protestantium religioni addictis, iuramentum fidelitatis aut subjectionis præstantibus, observari rigide contenderint. Talismodi formulam iuramenti, ratione Episcopatus *Uarislaviensis* præstandi exhibet *D. Stryk. in append. l. c. n. 19.* De hoc quoq; gravamine anno 1594. apud *Cæsarem Rudolphum*, in comitiis *Ratisbonensibus*, conquesti sunt Status Evangelici, & formularum hujusmodi abolitionem anxie efflagitarunt, sed pro-

propter antiquitatis observantiam à Statih9 Catholicis oppo-
sitam non impetrarunt. vid. Limn. *A. B. p. 203.* Verum enim
vero, cum jusjurandum sit species invocationis divinæ, *l. 41. C.
de transact.* facile patet, si rectè & legitimè ejus conceptum
formare velis, istud ad Deum, ceu perfidiæ vindicem, unicè di-
rigendum esse. Dn. Struv. *de Invoc. nom. div. apb. 9. p. 22.* Bald. *de
cas. consc. l. 2. c. 9. cas. 2.* Quod si ergò Pontificius Lutherano ju-
rumentum detulerit, *super igne Antonii vel alius Sancti reliquiis*
præstandū, hic verò repudiata talismodi formulâ super *ss. Dei
verbum* juret, ratum habetur juramentum, licet intentioni
deferentis non respondeat. Anton. Fab. *ad l. 5. §. 1. ff. de jurej.*
Etiam si enim regulariter illud demum juramentum idoneum
habeatur, quod ab adversario eo modo præstatur, quo ab exi-
gente præscribitur. *l. 5. pr. ff. de jurej.* Quoniam tamen Luthe-
ranus tale juramentum acceptans illud pro superstizioso &
impio reputabit, & sic ipse Actor nihil aliud, quàm ut scopo &
sine suo frustretur, sibi promittere possit: permitendum ipsi
tutius erit, ut juramentum fidei & libertati conscientiæ con-
veniens præstet, quod ratione obligationis intentioni defe-
rentis erit æquipollens, cui aliàs si secundum formulam præ-
scriptam jurasset, satisfacere cum effectu, non ita uti ab ipso
exigebatur, potuisset. D. Struv. *de Invoc. N. D. apb. 18. p. 40.*

§. 13. Hæc sunt, L. B., quæ pro virium tenuitate de per-
sonis diversæ religionis discendi exercendique animò propo-
nere volumus, quos conatus meos pro candore tuo æqui bo-
nique consulēs. Reliqua quæ materiæ hujus amplitudo desi-
derare videbatur, pagellarum angustia exclusi prætermittere
coacti sumus, ista igitur ut aliundè æquo animo supplere ve-
lis, submissè rogamus. Nos interim, pro concessis viribus,
immortales gratias exsolvimus ei, qui fuit laboris nostri
principium medium atque

F I N I S.






ULB Halle
005 132 444

3



V017







C. D. 1691/17 38
DE 20
EO, QVOD JUSTUM EST,
CIRCA
PERSONAS DIVER:
SÆ RELIGIONIS,

SUB PRÆSIDIO
VIRI ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMI,
DN. NIC. CHRISTOPHORI
LYNCKERI,
Hereditarii in *Flurs*städt & *Rötschau* Jcti,
Consiliarii Saxo-Vinat. Intimi, Facultatis Juridicæ Se:
nioris & Antecessoris Primarii, Curie item Provincialis &
Scabinatus Assessoris,

*DN. Patroni nullo non observantia & obsequio
cultu at atem prosequendi,
in Auditorio Jctorum*

FLORENTISSIMÆ ACADEMIÆ SALANÆ,
ad Diem Novembr. Anno M DC XCI.

publice disputabit
JOHANN. CONRAD SCHEMEL,
Onoldò Francus.

J E N Æ,
Literis WERTHERIANIS.